



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Tribvs Dagobertis Francorvm Regibvs Diatriba Godefridi Henschenii E Societate Iesv

Henschenius, Godefridus

Antverpiae, 1655

Liber Qvartvs. Galliarum Episcopi & Concilia, Dagobertorvm Regum
temporibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9599

LIBER IV.

Galliarum Episcopi, & Concilia,
DAGOBERTORVM Regum
temporibus.

PRæcipua temporibus iis, quibus Fran-
cis imperitauere DAGOBERTI, felicitas
Galliarum fuit, ab Episcoporum, san-
ctitate & sapientiâ clarissimorum, co-
piâ. DAGOBERTVS I ad pietatem &
Christianas regendi artes à primâ ætate informatus ab
Episcopis est: quorum quamdiu consiliis monitisque
obtemperauit, ceteris Regibus longè gloriâ antecel-
luit. Ex ipsiusmet palatio multi prodiere Episcopi, qui
religiosâ disciplinâ potiùs, quàm aulicis ministeriis,
eruditi videbantur. Ad secundum quoque DAGO-
BERTVM multi confluxere sanctissimi Episcopi, non
ex Hiberniâ solùm, vbi exulârat, sed ex variis Gallia-
rum oris, illecti fortasse quidam ipsius regali muni-
ficientiâ, ab ipso nonnulli accersiti. Nec defuere etiam
iunioris DAGOBERTI ætate, Apostolico fidei zelo in-
flammati, ceterisque sanctimoniæ ornamentis conspi-

Bb

cui

cui Episcopi. Quorumdam ex his facta antea mentio est; sed tempora, quibus sacros Ecclesiarum thronos insedere, minus rectè ordinata alibi sunt. Neque Conciliorum, quæ sunt ab iis celebrata, satis accurata ratio extat. Fuerunt ea, ob ciuilia identidem exorientia bella, utcumque infrequentia, (nisi quorumdam sint acta memoriaque abolita) tamen illa quoque ad eorundem Regum illustrandam memoriam perquam accommodata. Horum ergo Conciliorum, & quorumdam Episcoporum (non omnium, sed qui eâ tempestate clarissimi fuere) seorsim hîc asserenda tempora, successionumque series est.

I

*Concilium Parisiense anno 1009. Remense 1014.
XXIV. Episcopi Vesontionenses, Bituricenses,
Cadurcenses, Pictauienses, Lingonenses, alijs.
Sedes Elusana translata.*



Væ de variis Episcopatibus Gallia, Episcoporumque Conciliis, præcipuè eorum ætate Regum habitis, quorum Chronologiam, genus, acta illustrauimus, sparsim fuissent sæpius repetenda, nec nisi perincommodè suis ponderari momenti seorsim potuissent; consultò in hunc locum seposuimus

fuius ad clariorem lucem seiuncto ab superioribus tractatu expensuri.

Incipimus à Concilio Remensi sub S. Sonnatio Episcopo, in quo tertius hic est Cānon: *Vt capitula Canonum Parisiis acta, in generali Synodo, in basilicâ S. Petri, Chlotharij Regis studio congregatâ, omni firmitate custodiantur.* Vtinam hæc Parisiensis Synodus integra & lacunis expletis repræsentaretur! Eam edidit Sirmondus, sed *unicum se eius exemplar, situ & carie multis locis exesum vel corruptum, fatetur reperisse. Septuaginta nouem adfuisse Episcopos ex veteri quadam Collectione tradit, quot in nullo Concilio sub Regibus Francorum primæ stirpis fuisse memorantur.* Sed nec vnus quidem Episcopi nomen indicatur, subscriptionibus omnibus hætenus oblitteratis. Tempus Synodi huius Parisiis habitæ in titulo, & in Edicti Regij subscriptione, adnotatur, *dies xv Kalendas Nouembris, annus regni Chlotharij xxxi, id est, Christi 10cxiv,* quando post Theodeberti & Theoderici mortem, vniuersum Francorum imperium erat adeptus.

Flodoardus lib. 2 Historiarum Eccl. Remensis cap. 5 agit de Concilio sub Sonnatio habito, & nomina Episcoporum, qui ei Concilio interfuerunt, exactè recenset, his verbis: *Romulfum in Episcopatu Remensi secutus est Sonnatus, qui Synodum celebrasse reperitur cum aliis quadraginta, vel eò ampliùs Galliarum Episcopis: vbi etiam S. Arnulfus Metensium Præsul inuenitur interfuisse, cum Theodorico Lugdunensi, Sindulfo Viennensi, Sulpitio Bituricensi, Modegisilo Turonensi, Senoco Elosanensi, Leontio Santonensi, Modoaldo Treuirensi, Cuneberto Colonensi, Richerio Senonensi, Donato Vesontionensi, Auspicio Augustodunensi, item Modoaldo Lingonensi, Ragneberto Baiocensi, Childoaldo Abrincatensi, Bertegisilo Carnotensi, Palladio Autissiodorensi, Gundoaldo Meldensi, Leudeberto Parisiacensi, Chainoaldo Landu-*

ni Clauati, Godone Virdunensi, Anserico Sueffionensi, Claudio Reienfi, Bertoaldo Cameracensi, Agomaro Siluanectensi, Cesario Aruernensi, Vero Ruthenensi, Agricolâ Gabalensi, Lupoaldo Moguntiacensi, V Villegifelo Tolosano, Constantio Albiensi, Namatio Ecolismensi, Rustico Caturcensi, Auderico Aufcensi, Emmone Arsetensi, Felice Catalaunensi, Hadoindo Cenomanensi, Magnebodo Andegauensi, Ioanne Pictaunensi, Leobardo Namnetico. EN XLIEpiscopi cum suis Sedibus accuratè expressi, qui simul eidem Synodo interfuerunt, cuius annum hîc inquirimus, hætenûs perperàm ab aliis obseruatum. Claudius Robertus in Galliâ Christianâ tamquàm anno 10CXXXIV habitam sæpe allegat.

Ioannes Iacobus Chiffletius v. CL. par. 2 Vesontionis Archiepiscopus Vesontionenses enumerat: è quibus à seculo Christi septimo sequentes, iiq̄ue omnes Sanctis adscripti, hoc traduntur ordine sedisse: *Nicetius, Protadius, Claudius, Donatus, Migetius, Ternatius, Geruastus.* Vitam S. Nicetij damus VIII Februarij à pag. 168, Protadij x eiusdem mensis à pag. 412, de reliquis alibi acturi. Synodo huic Remensi interfuit S. Donatus xxv Episcopus secundùm catalogum Chiffletij, qui de eo agens asserit, *Synodum Remensem non potuisse celebrari ante annum 10CXXXII, cum adhuc S. Claudius, nondum autè S. Donatus Vesontione sedebat.* Ipsum autem S. Claudiũ dixerat antè, electũ anno 10CXXVI, *per a sum deinde Archiepiscopalis curie, & priuata vite studio ductum, anno VI sui Episcopatus, Christi 10CXXXII aut 10CXXXIII ad S. Eugendi monasterium se recepisse: quod nunc ab eo S. Cladij appellatur.* Ferdinandus à Ryâ Archiepiscopus Bisuntinus in epistolâ ad Clerum suum anno 10CXXXIX scriptâ, & vnâ cum Breuiario excusâ, præfatur se in eo edendo, *usum operâ industriâque piissimorum, simulq̄, doctissimorum virorum, adhibitisq̄ Sanctorum veris historiis.* In 10C Breui.

Breuiario ad VI Iunij ita incipit Lectio IV ad Matutinum: *Claudius de Salinensium Principum Palatinorum gente, liberalibus artibus & litteris sacris atque Ecclesiasticis apprime instructus, circa annum Christi sexcentisimum trigessimum sextus à Nicetio praefuit Ecclesiae Bisuntinae.* Addit Chiffletius & primum à Geruasio locum obtinuisse, ex plerisque catalogis haberi. Adde & consequenter quartum fuisse à Donato, quem illis annis, quos Chiffletius S. Claudio attribuit, sedisse mox constabit ex Synodo Remensi, cui interfuit, superstes tempore Chlodouei II, cuius anno V, Christi 1004 VIII, subscripsit exemptioni monasterij Fossatensis, adfuitque Concilio Cabilonensi sub eodem Rege habito. A posteris insertos annos Christi, vt alibi saepius monuimus, non admittimus.

Seuerinus Binius, in Conciliis anno 1004 1004 VIII editis, statuit hoc Concilium Remense circa an. 1004 XXX tempore Honorij Papae celebratum, indicari tempus praesentia Arnulphi, Subpitiij, Cuniberti & Modoaldi Episcoporum. Sed hi simul pluribus annis Episcopi fuerunt. Sirmondus, in Notis fatetur, de anno Concilij nihil liquere. Refert tamen ad annum DAGOBERTI II, Christi 1004 XXX. Sirmondum sequuntur Miræus in Chronico Belgico, Labbeus in Synopsi historica Conciliorum Galliae, aliique. Rationem dant Sirmondus & Labbeus, quod Rusticus Episcopus Cadurcensis, quem septem tantum annis praefuisse arbitrantur, successorem habuerit. S. Desiderium fratrem anno VII eiusdem DAGOBERTI, Christi 1004 XXXV. Verum dubius Sirmondus haec addit: *Quod si de annis DAGOBERTI sermo sit, quibus ante patris obitum in Austrasia regnabat, ceterior aliquantò Christi annus huic Synodo conueniet.* Est hic Desiderius, cuius epistolae ad DAGOBERTUM & Sigebertum Reges, varios Episcopos virosque illustres, extant: cuius Vitæ xv Nouemb. dandæ duo nacti exemplaria sumus, alterum Tolosâ à Petro Possi-

no nostro transmissum, alterum à R. P. Francisco Boulartio Parisiis ad S. Genouefam Canonico Regulari & Reuerendissimi Generalis Canonorum Regularium Assistente cōmunicatum. Labbeus in Miscellaneis Curiosis cap. 3 § 6 partem illius Vitæ edidit, atque in eâ Regis DAGOBERTI de eo ad Episcopatum promouendo duo diplomata, alterum Episcopis & Ducibus missum, alterum S. Sulpitio Pio Archiepiscopo Bituricensi; à quo petit, *vt in sanctâ Paschali solennitate Desiderius debeat Pontificali benedictione esse consecratus.* Signatur diploma *sub die Idus Aprilis anno VIII DAGOBERTI,* Christi 100XXXV, quando suberant adhuc Cadurcenses Chariberto fratri, anno IX regni DAGOBERTI mortuo. Prætereà anno Chr. 100XXXV, Cyclo Lunæ IX, Solis XXVIII, litterâ Dominicali A, Pascha celebratum est IX Aprilis, & anno proximè sequenti, Cyclo Lunæ X, Solis I, litteris Dominicalibus GF, Pascha incidit in XXXI Martij, & sic Idus Aprilis neutro anno ante Pascha occurrerūt, priore incidere in Feriâ quintam post Pascha, posteriore in Sabbatum post Octauam Paschæ, quæ Dominica in Albis dicitur. Ast anno Christi 100XXXVII, DAGOBERTI X, Cyclo Lunæ XI, Solis II, litterâ Dominicali E, Pascha fuit XX Aprilis, & Idibus Aprilis Dominica Palmarum, quâ illa priuilegia seu diplomata fuisse signata, persuadent eadem S. Desiderij Acta, in quibus legimus *Regē DAGOBERTVM XVI anno regni sui obiisse & scepra regni duobus filiis Chlodoueo & Sigeberto reliquisse, ac Chlodoueam quidem regnum Francorum, Sigebertum autem Austrasiorum gubernasse: hinc Austrasii tunc accesserunt Cadurci cum vicinâ Aquitaniæ I parte. Huius Sigeberti XVII regni apud Cadurcenses anno, Episcopatus autem sui XXIII sub die XIII Kalendarum Decembrium vltimum spiritum exhalauit Desiderius: qui fuit annus Chr. 100CLX, quando XXIII annos in Episcopatu complebat.*

complerat. Hæc de S. Desiderio, cuius Acta calculum annorum non omnino exactum habent; eiusque fracti Rustico potius septemdecim, quam septem annos esse attribuendos ex dicendis constat.

At Concilium illud Remense habitum esse sub Chlothario parente DAGOBERTI, hæc probant: primò *Ioanni Picta- uensi Episcopo*, qui huic Synodo adfuit, mortuo successit *Dido*, cui *Picta uensis urbis Prasuli à Chlothario Rege litterarum studio imbuendus S. Leodegarius in primis ætatis initiis traditus est: vt in huius Vitâ scribit Vrsinus, Picta uorum Pontifici Ansoaldo*, Didonis successori, inscriptâ. De Didone, qui ultra quinquaginta annos eam Ecclesiam rexit, suprâ egimus. Interfuit eidem Concilio Remensi *Modoaldus Episcopus Lingonensis*, cuius successor *Bertoaldus* in diplomate Chlotharij II promonasterio S. Benigni memoratur, teste *Claudio Roberto Lingonensi Presbytero in Galliâ Christianâ*. Subscripsit idem *Bertoaldus* Concilio Cabilonensi sub *Chlodoueo II*. Adfuit eidem Concilio *Senocus Episcopus Elosanensis*, de quo ita scribit cap. 54 *Fredegarius: Anno XLIII regni Chlotharij, Christi 10cxxvi, Palladius eiusq; filius Senocus, Episcopus Elosanus, incusante Aighinane Duce, quòd rebellionis VVasconorum fuissent conscy, exilio retruduntur. Erat ciuitas Elusattum metropolis Nouempopulantiæ, vt in Notitiâ prouinciarum & ciuitatum Galliæ, temporibus Honorij Augusti conditâ, traditur, & confirmatur in Capitulatione de Nominibus regionum Galliæ tomo I Chesnæi editâ. Quæ dignitas Elosanis ablata est, atque ad vicinam Ausciorum ciuitatem translata, Senoco, quantum colligimus, in exilium pulso. Neque enim deinceps vlla reperitur Episcopatus Elusani mentio: cuius Episcopi, qui ante Senocum sederunt, plures referuntur in Historiâ Gregorij Turonensis, & præcipuis Conciliis*

antè

antè in Galliâ habitis. De Sede Metropolitanâ Elufatium, eiusque translatione disputat Petrus de Marcâ lib. 1 Historiæ Bearnæ cap. 6 & cap. 25 de Senoci exilio: ante quod eius exilium Concilium illud Remis est habitum. Denique Flodoardus suâ narratione satis innuit illud ante tempora DAGOBERTI contigisse, dum caput sequens ita exorditur: *Post hunc beatum virum Sonnatiû, Leudegesilus, Attilæ Episcopi frater, tempore DAGOBERTI Regis, Episcopium rexit.* Accepit DAGOBERTVS Remos post ductam Gomadrudem vxorem, anno, vt diximus, *Chlotharij XLII, Christi 1000.* quo eodem anno, tempore verno, aut potiùs præcedenti 1000, Concilium arbitramur celebratum. Et quamuis *Sonnatius* sederit tempore *Brunechildis Reginae*, cùm quâ tradit Flodoardus *pro vtriusque partis opportunitate eum quasdam res commutasse*; tamen eû ad an. 1000 vixisse tempus successoris *Leudegesili* indicat, ac persuadet Sedes S. Sulpitij Pij Episcopi Bituricensis, qui eidem interfuit Remensi Concilio, S. Austregifilo xx Maij anni 1000 vitâ functo creatus Episcopus. Habuerunt SS. Austregifilus & Sulpitius Pius decessores in Episcopatu Bituricensi SS. Sulpitium Seuerum, Eustasium, & Apollinarem, quorum primus mortuus est anno *Childeberti Regis XVI, & Gunthramni xxx*, ergo Christi 1000, vt, qui tum temporis non procul inde viuebat, scribit Gregorius Turonensis lib. 10 Historiæ Francorum, in quâ annis Regum cap. 24 propositis, hæc subdit cap. 26: *Obiit & Sulpitius Bituricæ urbis Pontifex, cathedramque eius Eustasius Augustidunensis Diaconus est sortitus: vti xxix Ianuarij, die eius natali, diximus.* Ioannes Chenu Biturix, in Notitiâ Archiepiscoporum & beneficiorum diœcesis Bituricensis describendâ diligens & accuratus, tradit S. Eustasium eam Ecclesiam annos XII rexisse, extremumque diem obiisse pridie Kalendas Ianuarij,

Ianuarij, anno secundum calculum positum secundo & sexcentesimo ad finem dilapso. Huius successorem S. Apollinarem, probat idem Chenu annos IX sedisse, ac III, seu, ut alij volunt, II Nonas Octobris obiisse, ergo anno Christi 10CXI, assignato utrique tam Eustasio, quam Apollinari ultimo anno imperfecto: ut citius non potuerit eligi ordinarique Episcopus S. Austregisilus, quam sub dicti anni 10CXI finem. In huius Vita auctor coæuus hæc scribit: *Mortuo Bituricensi Episcopo Apollinari successus est Austregisilus, quam functionem duodecim annis præclare administravit, quemadmodum ab Angelo ei nocte illa fuerat predictum, cum primos fines urbis esset ingressus, & diluculo narravit Sulpitio Diacono, qui postea in Episcopatu ei successit, XX Maij, anno 10CXXIV vitam functo.* Hæc pluribus deduximus, quod auctores alij in annis S. Austregisili assignandis valde aberrent, & certus character Remensis Concilij inde etiam dependeat, cum multorum Episcopatum Galliae notitiâ.

I I

Concilium Cabilonense circa an. 10CL. Episcopi Parisienses.

PRæcipua Regibus Francorum, etiam primæ stirpis Merovingicæ, sedes fuit Lutetia, nobilior exinde facta: à cuius Episcoporum notitiâ, utpote magis suis Regibus familiarium, clarius reliquis Episcopatibus affundi lumen oporteret. Sed, quod mirandum est, neque horum Episcoporum catalogi mendis carent, post Democharem nostrâ ætate Parisiis editi à Iacobo Brulio in Antiquitatum Parisien-

fium Theatro, Ioãne Chenu in Chronologicâ historiâ Episcoporum Galliaë, & Claudio Roberto in Galliâ Christianâ, Post hos, fas fuerit etiam nobis in iis perferendis operam ponere.

Episcopus xxvi statuitur *Lendebertus*, quem Concilio Remensi sub S. Sonatio anno 10cxxiv habito, interfuisse supra diximus. xxvii *Episcopus Audobertus*, quem & præcedentem potius vnum eundemque censent aliqui apud Democharem. Hic S. Babolenum Fossatenfi cœnobio primum præfecit Abbatem: tabulis *donationis* eiusdem cœnobij à *Blidegisillo Diacono factæ sub die Nonarum Martiarum anno III Chlodouei II, Christi 10cxlvi*, subscripsit: ac *privilegium immunitatis atque ab omni Episcoporum & Clericorum subiectione exemptionis* adiunxit. Quod *Chlodoueus Rex anno v regni, Christi 10cxlviij, die xv Maij, & quatuor Archiepiscopi, videlicet Gaudericus Lugdunensis, Annobertus Senonensis, Prestelandus Bituricensis & Donatus Vesontionensis, septemq; Episcopi confirmarunt.* Quæ in Actis S. Baboleni ad xxvi Iunij exactius traduntur. Hic *Gaudericus*, aliis *Candericus, Archiepiscopus Lugdunensis*, præfuit *Concilio Cabilonensi* sub eodem Rege *Chlodoueo* habito: post quem subscripserunt *Landalenus Viennensis, Audoënnus Rotomagensis, Armentarius Senonensis, Vulfoledus Bituricensis, Donatus Vesontionensis, Rauracus Neuernensis, Deodatus Mariscognensis, Pappolus Genauensis, Palladius Autisiodorensis, Ferreolus Augustodunensis, Bertoaldus Lingonensis, Audo Aurelianensis, Malardus Carnotinus, Aurelianus Venciensis, Baudomerus Tarrantasiensis, Protasius Sedunensis, Ingildus Valentinus, Clarus Gratianopolitanus, Gratus Cabilonensis, Florentius Bellicensis, Ætherius Ebredunensis, Magnus . . . Betto Tricastinensis, Potentissimus Vappicensis, Arricus Lausanensis, Claudius Regensis, Licerius Vindauscensis, Petronius Vasionensis, Bertesfredus Ambianensis,*
Eligijs

Eligius Nouiomensis, Deocarius Antipolitanus, Leborius Maurianensis, Chairibonus Constantiensis, Amlacarius Sagensis, Launobonus Lexouiensis, Ragnericus Ebroicensis, Betto Iuliobonensis. & per suos vicarios Latinus Turonensis, Salappius Namnetensis, Audobertus Parisiensis, Felix Lemouicensis, Chadoindus Cenomanensis, Durioterus Redonensis. Addendus Theodosius Arelatensis, ad quem è Concilio missa est epistola, secundum quam Chlodoueus Rex in suprascripta urbe Cabilono VIII Kalendas Nouembris Synodale praecepit esse Concilium, Episcoporum è regnis Neustriæ & Burgundiæ. Annum Chlodouei Regis excidisse dolemus. Est is ex notitiâ quadraginta Episcoporum qui interfuerunt eruendus. Magnus fortè est Magnebodus Andegauensis, qui Concilio Remensi adfuit.

Ac primis Chlodouei annis non esse habitam eã Synodũ persuadēt tũ SS. Audoënus & Eligius, tantũ III regni anno, Christi 10CXLVI, die XIV Maij consecrati Episcopi, tũ Annobertus Senonensis & Prestelandus Bituricensis, qui exēptionem Fossatensem confirmarunt xv Maij anno v Chlodouei, Christi 10CXLVIII, à quorum altero si Vulfoledus Bituricensis non censeatur diuersus, alius est Armentarius Senonensis, qui Synodo adfuit. Inter eos Episcopos, qui cum Audoberto Parisiensi per vicarios subscripserunt, est S. Hadoindus Cenomanensis, qui Synodo Remensi anno 10CXXIV interfuit, & anno v Chlodouei, Christi 10CXLVIII, VIII Idus Februarij, iam senex, suum testamentum confecit, à nobis editum xx Ianuarij in Appendice pag. 1142. in quo licet se sanum corpore & mente, sanoque cõsilio vsum profiteatur, videtur tamen ab illo tempore alium debuisse substituere, nec multis annis superfuisset. Dum ergo certio rem temporis characterem licuerit obseruare, ad annum 10CCL cum Sirmondo referemus: neque ferius habitum arbitramur:

mur : multò minùs posse ad annum 10CLX aut 10CLXII aut ad tempora etiam Vitaliani Papæ differri, quod Baronius, Binius, aliique collectores Conciliorum, fecerunt. Neque Audobertus Episcopus Parisiensis post annum 10CL videtur diu vixisse, cui à S. Audoëno dicatam Vitam S. Eligij post Baroniũ scripsit Claudius Robertus. Verùm is est Chrodobertus, de quo mox agemus, cui eam Vitam corrigendam approbandamue misit Audoënus post annum 10CLXXVI.

XXVIII *Episcopus Parisiensis S. Landericus* tempore Chlodovei II, qui in publicâ annonæ penuriâ, pauperes vt aleret, primùm priuatam supellectilem vendidit, dein & vasa sacra & Ecclesiastica confregit, postea Xenodochium iis fouendis iuxta sanctæ Dei Genitricis ecclesiam ædificauit, censuque dotauit. Denique priuilegium immunitatis monasterio S. Dionysij indulsit *mensè Iulio anno xv Chlodovei*, Christi 10CLVIII, & anno sequente præcepto Regis, de libertate hac isti monasterio datâ subscripsit *x Kal. Iulij*, vt necessariò, quia dies x Iunij natali eius venerationi facer est, ad annum 10CLX vixisse videatur: quando verò obierit, ex tempore successoris constabit.

XXIX *Episcopus Parisiensis Chrodobertus, siue Robertus.* XXX *Sigobaudus.* XXXI *Importunus.* Ita Brulius, Chenu, Claudius Robertus. Verùm S. Landerico successit, qui his autoribus est Episcopus.

XXXII *Agilbertus*, aliquibus *Aglebertus, Angilbertus, Ailbertus*, inscriptus Martyrologio Gallicano ad xi Octobris, cuius soror habetur *S. Teutlechildis*, siue *Telechildis*, prima monasterij Iotrensis Abbatissa, cui parètes S. Bertilam, primam dein Calensis monasterij Abbatissam, commendarunt, suadente id S. Audoëno, cuius frater Ado illud monasteriũ

ad

ad Matronam flumen extruxerat. Menardus lib. 1. Obseruationum ad x Octobris, quo colitur *S. Teutlechildis*, scribit ex veteribus monumentis monasterij Iotrensis, cā illustri Francorum sanguine natam, patre Belfrido, *Moda S. Autharij uxoris germano, & matre Agiā*. Fuisse *Adonem, Audoënum, & Radonem* patre Authario, sed matre Agiā prognatos tradunt S. Audoëni Acta. Fuisse etiam *S. Lupi Senonensis, Austreni Aurelianensis, & Annarij Antisiodorensis* Episcoporum genitorem *Bettonem, genitricem Austregildem, vocabulo Agam*, legitur Kalendis Septembris in Vita S. Lupi. An simili modo mater S. Audoëni *Moda cognomento Aga, siue Agia* fuit? Huius ergo consobrinus Agilbertus, ad prædicandum Euangelium ac conuertendos Anglos ac Saxones Britannia incolas Episcopus ordinatus, secessit in Hiberniam, in quā, vti habet Beda lib. 3 cap. 7, Pontifex quidam, Agilbertus nomine, natione Gallus, legendarum gratiā Scripturarum non paruo tempore demoratus est, vsque ad annum 1021, quo Agilbertus, vt Chronologus Anglo-Saxo cum Bedā nuper excusus obseruat, à Gallis oriundus, *Westsaxonum Episcopatu potitus est*. Tum namque (ita pergit Beda) ex Hiberniā venit in regnum *Kenwalck*, coniunxitq; se Regi, sponte ministerium prædicandi assumens. Cuius eruditionem atque industriam videns Rex, rogauit eum, acceptā ibi Sede Episcopali, suę gentis manere Pontificem. Qui precibus eius annuens, multis annis eidem genti Sacerdotatū iure præfuit. Tandem Rex, qui Saxonum linguam tantum nouerat, pertasus barbara loquela, subintroduxit in prouinciam alium suę linguę Episcopum... Vnde offensus grauius Agilbertus quod hoc ipso inconsulto ageret Rex, rediit Galliam, & accepto Episcopatu *Parisiaca ciuitatis*, ibidem senex & plenus dierum obiit. Hæc Beda. Sed quod is multis annis apud *Kenwalchium* egisse Agilbertum tradat, Chronologus Anglo-Saxo decem fuisse innuit, ita scribens ad annum 1021: Hic

Agilbertus abiit à Kenvalchio, & VVina Episcopatum eius per triennium accipiens tenuit: nec non Parisorum Episcopatum in Gallis ad Sequanam flumen suscepit. At Beda lib. 3 cap. 25 & 26 tradit Streneshalensi Synodo anno 10CLXXIV interfuisse, & Catholicum Pascha contra Scotos defendisse.

Viuebat iam pridem in Nordhumbriâ suprâ memoratus S. VVilfridus, coniunctus, vti ait Beda lib. 5 cap. 20, amicitis Alfredo Regis, ad cuius iussione Presbyter ordinatus est ab Agilberto Episcopo Geniessorum, id est Occidentalium Saxonum. Quem non multo post, detectâ & eliminatâ Scotorum sectâ, Galliam mitens cum consilio atque consensu patris sui Oswi, Episcopum sibi rogauit ordinari, eodem Agilberto tunc Episcopatum agente Parisiaca ciuitatis, cum quo & alij XI Episcopi ad dedicationem Antistitis conuenientes, multum honorificè ministerium impluerunt. Annum expriment 10CLXIV Wigorniensis, Westmonasteriensis, alique. Vitâ functus est Wilfridus anno 10CCIX, postquam consecratus est Episcopus, XLV. Prætereà eodem Bedâ teste lib. 4 cap. 1, S. Theodorus ordinatus est Episcopus Cantuariensis à Vitaliano Papâ anno Dominica Incarnationis 10CLXVIII, sub die VII Kalendarum Aprilium Dominicâ, scilicet cyclo Solis V, litteris Dominicalibus B A. Quo anno, VI Kalendaras Iunias Britanniam missus, ad Agilbertum Parisiorum Episcopum profectus est, & ab eo benignè susceptus, & multo tempore habitus. Quamdiu postea vixerit, nusquam legimus. E Bedâ suprâ diximus, senem & plenum dierum obiisse: & quidem, vt Saussaius addit, in monasterio Iotrensi, vbi in cryptâ adicula S. Pauli Eremitæ, quam condiderat, sepultus, multis refulsit miraculis.

XXX Sigrobandus, aliis Sygobrandus, Sigebrannus, Sigobaudus, qui in Vitâ priore S. Bathildis dicitur Sigoberrandus, in posteriore Sigebrandus. Erat, inquit auctor ille, eius Bathildis san-

ctâ

*Et deuotio, ut in monasterio . . . conuersari deberet. Nam & Fran-
ci pro eius amore hoc maximè dilatabāt, nec fieri permittebant, nisi
commotio illa fuisset per miserum Sigoberrandum Episcopum, cuius
superbia inter Francos meruit mortis ruinam. Et exinde ortā in-
tentione, dum ipsum contra eius voluntatem interfecerunt, me-
tuentes, ne hoc ipsa Domna contra eos grauitè ferret, ac vindicare
ipsam causam vellet, permiserunt eam subito pergere ad ipsum mo-
nasterium. Annum nusquam legimus expressum. Maturā pri-
dem ætate fuisse tunc Chlotharium, supra probauimus, &
post annum 106LXX hanc cædem, & S. Bathildis ingressum
in monasterium, contigisse. De Importuno qui Sigobrandi
successor traditur, nihil constat.*

*Sequitur Chrodobertus, aliis Hrodobertus, & Robertus, cuius
Sedis tempus suggerit S. Audoënus, dum ei Vitam S. Eligij,
nuper, ut ait, à se descriptam mittit, ut si quid minus aptum de-
prehenderit, studiosè emendet. Legitur ea epistola ad calcem
Vitæ S. Eligij, cum responso Chrodoberti, quo Vitam à se
lectam approbat. In eâ Vitâ scribit Audoënus, Chlotharium
III diem obiisse, ac duos superstites fratres reliquisse. De quibus quid
futurum sit, vult solius Dei iudicio diffiniri. Ex his Childericum
sub ætatem anno 106LXXIX interemptum esse, quarto post
obitum Chlotharij anno, ex supradictis constat: ante quem
annum ea Vita scripta est, & ad Chrodobertum, siue Robertum
Parisiensem missa. Erat horum Regum mater S. Bathildis,
quam diximus in monasterio Kalensi adhuc regnante Theo-
derico Rege vixisse, mortuam post annū Christi 106LXXXIV.
Cuius Vitam, proximis post obitum eius annis scriptam,
edidimus ex MS. S. Mariæ de Ripatorio ad xxvi Ianuarij: in
quâ num. 7 dicitur monasterium Corbegia ab eâ constructum, ubi
venerabilis vir Dominus Teudofredus, nunc enim Episcopus, tunc
verò Abbas, magno gregi Fratrum præsuit. Illi verò in regimine
monasterij*

monasterij successisse diximus Chrodegarium, eique mortuo Erembertum, huiusque electionem Regem Theodericum confirmasse. In hac Vita de Chrodoberto hæc habentur: *Rex Chlodoueus vir eius migravit à corpore, relietâque sobole filiorum cum matre, suscepit illicò post eum filius eius Chlotharius quondam Francorum regnum. Tunc etenim præcellentibus Principibus Chrodoberto Episcopo Parisiaco, & Domino Audoëno, seu & Ebroino Maiore-Domus, cum reliquis Senioribus vel ceteris quàm pluribus, & regno quidem Francorum in pace consistenti. Tunc enim nuper & Austrasij, pacifico ordine, ordinante Domnâ Balthilde, per consilium quidem Seniorum receperunt Childericum filium eius Regem Austri. Hæc auctor coæuus, quæ in alterâ Vita num. 5 magis expolita proferuntur, è quibus hæc spectant Chrodobertum: Et suffragantibus præcellentissimis Principibus Chrodoberto Episcopo Parisiaco, & Domino Audoëno Rotomagensi, seu Ebroino Maiore-Domus, cum reliquis Senioribus, vel ceteris quàm plurimis regni honorem quærentibus, ad regimen Francorum in pace constituitur. Hæc ibi. Stephanus Binettus in Vita S. Bathildis Gallico fermone editâ, cum id esse dubium iudicaret, Chrodobertum vel Agilbertum scripsit. Verùm auctor coæuus videtur tantùm voluisse indicare inter Principes Palatii fuisse primò Chrodobertum, illum eundem, qui, quo tempore ipse eam Vitam scribebat, Episcopus erat Parisiensis: dein Dominum Audoënum, nullâ conditione appositâ, diuturno Episcopatu omnibus notum: postea Ebroinum Maiorem-Domus, qui ab eâ dignitate nuper expulsus, eandem receperat. Fuit autem Chrodobertus Episcopus temporibus Childerici Regis Neustriæ & Theoderici fratris.*

XXXIII Episcopus Sigofridus: de quo hætenùs nihil legimus.
 XXXIV Turnaldus, seu Turnoaldus, ex Abbate, inquit Clau. Robertus, Sædionysiano XI. Qui potiùs relicto Episcopatu factus monachus.

monachus ac dein Abbas. Nam in tabulis donationum anno 11 regni, pridie Kal. Martias, id est, anno Christi 1000cxvii, concedit Chilpericus Rex terras peculiare ad basilicam S. Dionysij, ubi Dominus Turnoaldus Episcopus Custos praeesse videtur. . . . ad integrum ipse Dominus Turnoaldus Episcopus ad ipsa sancta basilica Domini Dionysij Martyris habeat concessum. Integrum diploma recitat Dubletius lib. 3 pag. 689, qui lib. 1 pag. 179 tradit eum fuisse Abbatem XII sub dicto Chilperico, eiusque successore Theoderico, ac postea creatum Episcopum Parisiensem: quod minus probamus, neque successores permittunt. potissimum si S. Cerannus, seu Ceraunus, Turnoaldo successerit, vti collocatur in Catalogo MS. Episcoporum Parisiensium, ab eoque diuersus statuitur Centunnus decessor Leudeberti. Fauent Brulius & Chenu, dum tradunt S. Cerannum claruisse tempore DAGOBERTI II Francorum Regis anno salutis 1000cxvii. Inscriptus est Martyrologio Gallicano xxvii Septembris, at Breuiario Parisiensi postridie. Quam difficultate tantisper sepositam sequuntur

xxxv Aldulphus. xxxvi Bernecharius, solis nominibus noti. xxxvii Hugo filius Drogonis, quem supra diximus Abbatem etiam Fontanellensem fuisse, ac sancte mortuum vi Idus Aprilis anno 1000cxxx, Indiact. xiiii. In cuius monasterij Chronico MS. dicitur Archiepiscopus Ecclesiae Rotomagensis, & Rector siue procurator urbis Parisiacae xxxv a B. Dionysio constitutus: qui praesulatum Ecclesiae Parisiacae, simulque Baiocassinæ cum Rotomagensi tenuit, factione scilicet patris sui Caroli Principis, extra decreta tamen canonum. Haec ibi: quae de Episcopatu Parisiensi dicta sufficiant.

I I I

Concilium Rotomagense an. 10CXII. Archiepiscopi Lugdunenses & Rotomagenses. Primi Abbates Fontanellenses.

ALia difficultas, quâ & chronologia nostra oppugnari, & quæ à nobis de DAGOBERTO II asserta sunt, fortasse non nemini euerti posse videantur, est in primis Abbatibus monasterij Fontanellensis diœceseos Rotomagensis, & inde ad Ecclesiarum gubernacula euocatis. Fundator fuit S. Wandregisilus: ei successit, non S. Genesius Archiepiscopus Lugdunensis, sed qui Genesio hac in dignitate substitutus postea est, S. Lâbertus. Hoc itidem ad Cathedram Lugdunensẽ euecto, factus est III Abbas S. Ansbertus. Hic dein ordinatus Archiepiscopus Rotomagensis, Synodũ conuocauit multorũ è Neustriâ & Austrasiâ Episcoporũ, Theoderici Regis auctoritate Eam autumant Baronius, Binius, Sirmondus, Labbeus, aliiq̃ue anno 10CLXXXII esse habitam, quòd annum eum videatur Aigradus auctor coæuus in S. Ansberti vitâ statuere. Verũ ea Vita, vt IX Februarij, vbi totam damus, perspicere licet, à posteris est interpolata: vti & S. Wandregisili primi Abbatis ac fundatoris monasterij Fontanellensis.

Vitiatas esse Episcoporum Lugdunensium tabulas monet Sauaro in Notis ad Sidonij Apollinaris epistolam 15 libri 7. Qui seculo VII vixerunt, recenset Demochares recto ordine, qui aliquot intrusis inuertitur apud Iacobum Seuertium, Ioannem Chenu & Claudium Robertum, aliosq̃ue.

Floruit

Floruit *Aridius* sub Theoderico Rege Burgundionum filio Childeberti, & quidem, vt tradit Fredegarius cap. 24, ab anno regni eius VIII, id est, Christi 10011. Illum ait Aimoinus lib. 3 cap. 90 *successisse Secundino*: subscribit Demochares. Alij interponunt *Delphinum*, de quo infra, & *Chagnoaldum*: sed hunc suprâ diximus anno 10024 Concilio Remensi adfuisse Episcopum Lugduni Clauati, id est, Laudunensem sub Archiepiscopatu Remensi. Colitur is VI Septembris. Interfuit eidem Concilio Remensi successor Aridij *Theodericus*, aliis passim *Tetricus* dictus. Post eum sedit *Gaudericus*, aliis *Candericus* dictus, quem suprâ ostendimus subscripsisse immunitati monasterij Fostatensis anno 10018, & dein Concilio Cabilonensi. Ab hoc ordinatum esse Subdiaconum S. Baldomerem patet ex huius Vitâ ad XXVII Februarij ex codice MS. monasterij S. Iusti euulgandâ: quo in monasterio tunc viuebat sub *Viuentio* Abbate. Postea Archiepiscopum ipsummet factum Viuentium, veriùs censet Demochares, quàm qui Gauderico eum præponunt. Secutus est S. *Annemundus*, Clothario sub S. Bathildis matris tutelâ regnante, occisus: quem ad S. Bathildis Vitam § 5 ostendimus ab Anglis *Delfinum* appellari. Subrogati dein S. *Genesisius*, eique anno DCLXXXIV vitâ functo, S. *Lantbertus* Abbas Fontanellensis, secundus à Wandregifilo, ad quem redimus.

Extat S. Wandregifili Vita, ipsi Lantberto Archiepiscopo Lugdunensi inscripta. Præfatur auctor tradere se aut à *semetipso visa*, aut à *venerabilibus monachis, qui ei per proluxa adhaferunt tempora, assertione verissimâ asserta*. Hic ergo Wandregifilus cum sub DAGOBERTO I opinione sanctitatis floureret, extruxit monasterium in Elisgaugio territorio: inde in Italiam profectus, Bobiense S. Columbani monasterium iustravit: Romamque adiens, limina Apostolorum venera-

tus est. In Gallias reuersus, in monasterio quodam, Romanis dicto, vltra saltum Iurensem, sub institutione regulari *per decem ferè annos vixit*. Interea DAGOBERIO Rege mortuo, in Neuftriâ & Burgundiâ successerat Chlodoueus II, cuius anno III, Christi 1004, *die Dominicâ ante Litanias, siue Rogationes, xiv Maij consecratum esse in Archiepiscopum Rotomagensem S. Audoënum sæpius diximus*. Huius sanctitatis famâ excitus Wandregifilus Rotomagum venit: *aliquamdiu cum eo conuersatus ordinatur Subdiaconus, & processu temporis Diaconus: ac non multo post à S. Audomaro Taruansensi Episcopo consecratur Sacerdos*. Erat eo tempore præfectus palatio Chlodouei Erchenoaldus, *ex maternâ origine consanguineus VVandregifili*: quo fundum Fontanellæ donante, cœpit hic monasterium construere *sub die Kalendarum Martiarum anno præfati Regis vndecimo, Christi 1004, non 1005, quod interpolator censuit, quasi S. Audoënus factus fuisset Archiepiscopus, & quidem sub Chlodoueo, anno 1000. Verùm nostram chronologiam sequentia accuratâ serie confirmant*. Nam anno Chlodouei xv, regiminis S. VVandregifili iv, Betto eius precibus sanatur: is est annus Christi 1007. Chlotharium Regē adiit VVandregifilus, & priuilegium regię confirmationis *super arçâ cænobij sui liberalissimâ datione accepit anno regni vii, regiminis illius xv, qui est annus Christi 1008*. Demum *expleuit S. VVandregilus in sacro regimine decem & nouem annos, menses quatuor, dies quoque viginti & vnum, mortuus anno duodecimo Chlotharij, xxi i Julij, anno Christi 1010*. Qui annos Christi in eius Vitam infarsit, ab anno 1005 ad 1015 præfuisse eum monasterio scribit, quamuis solùm computet *annos decem & nouem*; quia nimirum exorsus à Paschate annum, vltimo anni 1005 mense auspiciatum esse regimen censuit. Chronotaxin nostram

stram

stram stabiliunt anni sequentium Abbatum. Viuente S. Wandregifilo occisus est S. Annemundus Lugdunensis Archiepiscopus, in eiusque locum ordinatus S. Genesius Abbas, per quem S. Balthildis, vt huius Vita tradit, vnà cum Regis Chlodouei imperio largâ procedebat eleemosynâ cunctis pauperibus per multa loca. Abbas dicitur, sed cuius monasterij non exprimitur: fortè honoris causâ in palatio ita appellatus, ac postea quòd successor eius S. Lambertus antea Fontanellensis Abbas fuisset, ipse quoque ex eodem cœnobio venisse ad Episcopale solium existimatus est à Seuertio, Chenu, Claudio Roberto, Rainaudo in Indiculo SS. Lugdunensium, Saussaio ad Kalend. Nouemb. aliisque, quos ratio temporis abundè refellit, nisi velint eum Fontanellensibus præfuisse ante S. Wandregifilum, antequam extructum monasterium.

Mortuo ergo S. Wandregifilo, Abbatem secundum constitutum esse S. Lambertum, siue Lambertum, testantur Acta S. Wandregifili, ac S. Ansberti eius successoris, Sanctique Condedi Presbyteri. In his annis *Lamberti Abbatis IX* conuenire in *annum III regni Theoderici, VI Idus Octobris*, supra diximus. Is est annus Christi 1067. At S. Genesio anno 1067 Kalendis Nouembris vitâ functo, consecratus est Lugdunensis Archiepiscopus S. Lambertus, eique in monasterio Fontanellensi successit tertius Abbas S. Ansbertus. Quam epocham probant eadem Acta S. Condedi, dum tradunt *sub anno VII Regis Theoderici S. Ansbertum anno II gubernasse Fontanellense monasterium*: erat autem annus Christi 1067. Ast anno 1069 S. Audoenus Archiepiscopus Rotomagensis migravit ad Dominum nonagenarius, cum rexisset Ecclesiam illam, vt diximus, annos XLIII, menses III, dies X: scilicet à die XIV Maij anni 1026 ad XXIV Augusti anni 1069, vt nihil accuratiùs dici posse videatur. In Actis

adiungitur *annus ab Incarnatione Christi, 10CLXXVII*, quo *ix Kalend. Septemb. die Dominicâ*, è vitâ dicitur decessisse, vt aut *anno 10CXXXIV*, & quidem *regnante Chlodoueo*, antequàm natus esset, ordinatus sit *S. Audoënus Episcopus*, aut solùm annos *XXXI* eam rexit Ecclesiam, non *XLIII* clarè expressos. Prætereà anno *10CLXXVII* intruso, cyclo Solis *xiv*, litterâ Dominicali *D*, dies *xxiv* Augusti incidit in diem Lunæ, non Dominicam: quod alterum *σφάλμα* est hominis parum accurati. Interim *Fridegodus Poëta*, dum seculo decimo hanc *Vitam* carmine heroico edidit, pro obitu eius

annos

Octo designat sexcentos septuaginta.

quando dies natalis, *ix Kalendas Septembris* fuit feriâ *III.* seu die *Martis*. Attamen canit:

*Ecce quater denis ac ternis federat annis,
Mensibus & tribus, bis quinis atque diebus,
In Cathedrâ Sedis diocesis Rotomagensis.*

& quidem, vt antè dixerat:

*Anno iam sexto decimo piè Theoderico
Sceptra gubernante cum Regina Clodohilde.*

Ita & Auctor *Vitæ annum xvi regni Theoderici Regis & Cratildis Reginae* assignat ex peruerso calculo annorum Regum præcedentium. Ceterùm hæctenùs eum *xvi* annum non reperimus obseruatum. *Sextus annus* reponitur à *Baronio*, *vigésimus tertius* à *Petauio*, *decimus* à *Bucherio* & *Fiseno*, quem & nos assumimus, persuadetque subiunctus *VVaratto Subregulus res palatij administrans*, ab obitu *Gislemari* anno *10CLXXXIX*, regni *Theoderici x*, in eam dignitatem restitutus.

S. Audoëno anno *10CLXXXIX* mortuo successit *S. Ansbertus*, cuius *Sedem* celebrem facit *Synodus Rotomagensis* ab eo habita, & quidem *anno gloriosi Regis Theoderici decimo*

tertio.

tertio. Sirmondus *hunc annum Theoderici XIII* hætenus re-
 pertum in Synodi actis excusis, & MSS. Rotomagensi ac
 Fontanellenfi, quibus maximè fidendum, aliisque variis,
 corrigit ex solo codice S. Michaëlis in mari, *annumq̄ XVI*
Theoderici reponit, quot eum non regnasse annos probauim-
 us. Sirmondum sequitur Labbeus, & cum illo refert ad
 annum 10CLXXXII, quo adhuc viuentibus SS. Genesio Ar-
 chiepiscopo Lugdunensi & Andoëno Rotomagensi, sub
 Lantberto Abbate Fontanellenfi priuatus viuebat S. Ans-
 bertus. Conuocati ad eam Synodum Episcopi referuntur
 hoc ordine: *Ansbertus Episcopus urbis Rotomagensis presuit &*
subscripsit. Duorum sequentium Sedes non indicantur. Sunt
 autem *Ratbertus*, aliis *Ruotbertus*, *Rutbertus*, & *Bertus* Archie-
 piscopus Turonensis: qui *corpus S. Leodegarij*, cum anno 10C-
 LXXXVIII Pictauium deferretur, *cum choris psallentium & lam-*
padibus, teste Vrsino, *per mediam duxit ciuitatem.* Alter *S. Re-*
gulus Archiepiscopus Remensis, qui testamento S. Amandi
 Episcopi Traiectensis anno 11 Theoderici subscripsit, cui
 successit S. Rigobertus, anno 10CCXVII in exilium pulsus.
 Sequuntur Episcopi; *Airardus Carnotena urbis*, cui Rouillar-
 dus dum *annos Sedis quatuor tantum assignat*, & ferè sub *Chlo-*
doueo III Theoderici filio, Chronologiam nostram confir-
 mat. *Ansoaldus Pictauiensis urbis*, qui translationem corporis
 S. Leodegarij procurauit, cuique huius Vitam dicauit Vr-
 sinus. *Aquilinus Ebroica urbis*, cui Vita, danda XIX Octobr.
 annos Sedis XL II assignat. Aliquorum dein Sedes non indi-
 catur: & sunt, *Cadoënus*, fortè *Cadocanus*, Maclouienfis in
 Britannia Armorica. *Armonius*. *Saluius*. *Desiderius*, fortè Re-
 donensis in Britannia Armorica, qui in martyrio affectus,
 colitur XVIII Septemb. *Fulcrannus*. *Ioannes*, forsan Abrin-
 censis in Normannia. *Villebertus*, siue *Hillebertus* Meldensis,
 qui

qui colitur xxvi Maij. *Gerebaldus Baiocassina urbis*, cui vii Decembris sacer est. *Taurinus*, fortè Namnetensis, successor S. Pascharij, cuius mentio fit in eadem Vitâ S. Ansberti. Denique *Aunobertus Sagiensis urbis*, cuius Vitâ xvi Maij dâda est. Et hæc de Synodo Rotomagensi habitâ anno Theoderici xiii, Christi 10cxvii, antequàm corpus S. Audoëni à S. Ansberto in editiorem locum transferretur, quod contigit festo Ascensionis Christi sequentis anni 10cxciii. Pulsus dein in exilium S. Ansbertus, mortuus est in Alto-monte monasterio Hannoniæ 1x Februarij anni 10cxcv. Cuius corpus trigesimo ab obitu die Fontanellam translatum est, Hilberto S. Ansberti successore adhuc viuento, quo anno 10cc mortuo, electus est S. Bainus ex Episcopo Teruaniensi monachus Fontanellensis: sub quo corpora SS. Wandregifili, Ansberti, & Vulfranni, Archiepiscopi Senonensis illic mortui, è templo S. Pauli ad ecclesiam S. Petri translata sunt anno 10ccciv, dein tempore persecutionis Normanniæ anno 10ccclviii ad villam Bladulphi prope Quentaicum, circa annum 10cccxcv Carnutum, postea Bononiam circa annum 10cccc, & inde tandem Ganduum ad monasterium Blandinium anno 10ccccxlii, ibique ab hæreticis dissipata anno c10c10lxxviii. Quæ omnia 1x Februarij exactiùs probantur.

Episcopi

IV

*Episcopi Argentoratenses ab anno CCCXLVI per
quatuor secula enumerati. Episcopi Mogunti-
ni, V Vormatienses, Spirenses.*

QVæ ad Rhenum est nobilissima Argentoratensis Ec-
clesia, excepit olim, vt suprâ demonstrauius, pro-
prium suæ ditionis Regem, DAGOBERTVM II, filium S. Si-
geberti, eiusque est plurimis maximisque beneficiis locu-
pletata & ornata: cuius interim munificentia laus, nomine
è posterorum memoriâ eraso, DAGOBERTO I eius auo attri-
buita est, & tantâ exaggeratione, vt post alios scriptores Io-
docus Coccius singulari dissertatione hanc Regis beneficē-
tiam commendaturus, in titulo libri indigetet DAGOBER-
TVM *Regem Argentinensis Episcopatus fundatorem*. Ab eiusdem
DAGOBERTI regno originem illius Episcopatus repetunt
Wymphelingus in Catalogo Episcoporum Argentinensium
anno MDIUVIII excuso, Bruschius de Episcopis Germaniæ,
Demochares lib. 2 de Missæ sacrificio cap. 34, Cratepolius
de Sanctis Germaniæ, Guillimannus in Commentario de
Episcopis Argentoratensibus, Miræus lib. 5 Notitiæ Episco-
patuum Orbis, Ruerus par. 2. Antiquit. Vosagens. lib. 2 ca.
4, & passim alij scriptores, qui hoc & præcedenti seculo flo-
ruerunt.

Contra hos omnes præualet clarissima auctoritas Noti-
tiæ prouinciarum & ciuitatum Galliæ, temporibus Hono-
rij Augusti conditæ: in quâ hæc leguntur: *Prouincia Germa-
nia prima, numero IV, Metropolis ciuitas Mogunziacensium. Ciui-*

tas Argentoratensium. Ciuitas Nemetum. Ciuitas Vangionum. Quibus in vrbibus Sedes tunc fuisse Episcopales manifestum est ex Synodo Agrippinensi, sub Constante, Constantini Magni filio, post Consulatum Amantij & Albini iv Idus Martias, anno CCCXLVI, habitâ. Interfuere Amandus Argentinensium, Iesses Nemetum, Victor Vangionum; consentientibusq; & mandantibus Martino Episcopo Moguntiacensium, ac pluribus aliis, Euphratam Episcopum Colonensem, quod Christum Deum negaret, condemnarunt. Ante illud tempus plures fuerunt Episcopi Moguntini, etiam martyrij palmâ illustres, de quorum recto ordine disputat Serarius lib. 2 Rerum Moguntiacarum cap. 24, ac vigesimum eius Sedis censet Martinum. An tamen præcedentes omnes, qui Catalogo Episcoporum Moguntinensium inscribuntur, fuerint eius Sedis Episcopi, non liquet. De S. Ignatio Martyre aliqua diximus ad Vitam S. Ignatij Antiocheni Kalendis Februarij, in tractatu de Variis reliquiarum Translationibus num. 12, pag. 36. Quod huc spectat, arbitramur eodem modo apud Argentoratenses, Nemetes, Vangiones primis Christi seculis Episcopos fuisse, sed quorum nomina iniuriâ temporum perierunt.

Auctor Vitæ S. Deicoli, Lutrensis in Burgundiâ Abbat, quâ xviii Ianuarij ex Lutrensis membranæ edidimus, de S. Amando aliisque vrbis Argentoratensis Patronis circa annum MCCCCLXV hæc scripsit cap. 1: *Ciuitas Argentina, quæ vulgarico vocabulo Strasburch vocatur, exceptis Reliquis principalibus, proprios se gaudet habere Patronos, quos à Domino suscepit veræ fidei fundatores, & Diuini verbi prodigos seminatores, id est, Amandum, Iustinum, Arbogastum, Florentium, & alios nonnullos, quorum nomina in beati ordinis albo superna illa regio sine fine tenet coaxata. Hæc ibi. Agi autem de sanctorum Patronorum.*

norum.

norum Reliquiis, toto capite innuitur: in quo Floriaci monasterij dicuntur Patroni SS. Benedictus & Scholastica, urbis Sueffionensis S. Sebastianus Martyr, & sic de reliquis. Primus ergo fidei apud Argētoratēses fundator dicendus est senior Amandus, qui tribus integris seculis vixit ante S. Amandum Episcopum Traiectensem, quos indoctum vulgus non internoscit, dum illius facta huic tribuit. Nam Traiectensis Amādi Reliquias magnā cum veneratione in monasterio Elnonensi, idē S. *Amandi* vulgō appellato, semper fuisse adseruatas ex dictis vi Februarij constat. Amandus ergo, qui primus Argentoratensium Episcopus habetur, vixit seculo Christi quarto, atque, vt diximus, interfuit anno CCCXLVI Synodo Agrippinensi.

Secuti illum sunt in eadem Sede Episcopi, II *Iustus*, siue *Iustinus*, suprā in Actis S. Deicoli memoratus. III *Maximinus*. IV *Valentinus*. Hos quatuor eo ordine recenset Wymphelingus, additque *Sanctos adpellari, pingiq, cum diadematis, & credi inter Diuos receptos esse*. Est eidem v *Solarius*, quem cum præcedentibus Sanctum nominant Bruschius & Demochares: à quibus Solarij successor statuitur vi *Biulfus*, siue *Giulphus*. Sequentes hoc ferē ordine recensentur à Wymphelingo, Bruschio, Demochare, Guillimanno: VII *Magnus*, de insigni & nobilissimā prosapia ortus. VIII *Garoinus*, *Gaorinus*, *Garinus*, aut *Baroinus*. IX *Landebertus*. X *Rodobaldus*, siue *Rathboldus*. XI *Magnebertus*, seu *Magnobertus*. XII *Labyolus*, *Laybolus*, *Laiublinus*, *Vbiolus*, siue *Vbelinus*. XIII *Gundoaldus*, *Gundoldus*, aut *Sundersholdus*. XIV *Aldus*, tempore Heraclij Imperatoris, inquit Wymphelingus, id est, tempore Chlotharij II, à quo DAGOBERTVS filius Austrasijs Rex datus est. XV *Gando*, (fortē S. Amandus Episcopus Traiectensis creditus) *vir clari ingenij*, vt ait Wymphelingus, aut, vt Bruschius, *vir eximie do-*

etus & sapiens. XVI Vto, Vtho, siue Otho. Addit Wymphelin-
gus, de horum patriâ, genere, vitâ, morte, sepulchris, nihil penè se
offendere potuisse. XVII Ansoaldus, quem Bruschius & De-
mochares aiunt à Rege Childerico constitutum esse. fortè atti-
gerit primos eius annos. XVIII Rotharius, siue Rodtharius, què
suprà ostendimus tempore Childerici Regis Austrasie, & DA-
GOBERTI II in Alfatiâ regnantis floruisse: quo tempore S.
Deodatum extruxisse monasterium Vallis-Galileæ vetusta
diplomata demonstrant. Huius Deodati fuisse socios SS.
Arbogastum & Florentium, monasteriorum Heiligenfor-
stensis & Haselacensis fundatores, suprà dictum est. Ex his
XIX Episcopus fuit S. Arbogastus, à DAGOBERTO II filio S.
Sigeberti ad eam dignitatem euectus. Successit XX Episco-
pus S. FLORENTIVS. Amborum tempora suprà stabiliuimus.
Quia tamen, quòd Fastis Sanctorum adscripti forent, in
quibusdam Catalogis sunt primis Episcopis, qui & Sancti
habentur, adiuncti, magna temporum, quibus reliqui flo-
ruère, est facta perturbatio.

Sequitur XXI *VVigernus, Gaspari Bruschio VViggerus.*
 Hic, ut ait Heddo in suo testamento, *monasteriolum in*
Nigrâ-siluâ in Marchâ Etinheim, in loco nuncupante Monacho-
rum-cellâ, super fluuiolo Vndusâ, de nouo suo opere edificauit in
honore S. Mariæ semper Virginis, & S. Ioannis Baptiste, Sanctiq.
Petri Apostoli & ceterorum Sanctorum: & monachos ibidem con-
gregauit, & dedit ad ipsum locum aliquid de rebus S. Mariæ. Ad-
dit dein Heddo, se postea inuenisse ipsum monasteriolum anteces-
sorum negligentia desolatum. Qui istic taxatur, inquit Wym-
phelingus, est successor VVigerni XXII Episcopus VVandelfridus.
 Guillimannus post hunc *Hidolphum* ponit ab aliis omissum,
 fortè per errorem ex testamento Heddonis intrusum, qui
 dicti monasterij constituit *Abbatem virum reuerendissimum,*
nomine

nomine Hildolfum, nisi hic sit *Aulidulfus*, à Wymphelingo, Bruschio, Demochare post Heddonem recensitus, qui XXIII esse deberet. XXIV *Heddo*, siue *Etho*, aut *Ethico*, filius Ethiconis, fratris S. Odiliæ Virginis & Alsatia Comitis, natipatre Adalrico, siue Athicone, & matre Beresuindâ, sorore Regina Bilichildis, vxoris Childerici Regis. Est autem dictus *Heddo*, siue *Etho* factus Argentoratensium Episcopus anno 1000XXXIV, quo etiam Carolus Martellus Frisiam vastauit, vti illa apud Hermannum Contractum coniunguntur. Zacharias Papa inter Episcopos Gallia & Germania, quibus epistolam VI, à Sirmondo tomo I Conciliorum Galliae relatum, scripsit, *Heddum Strateburgensem* numerat. Edita est eadem epistola à Guillimanno in Heddone, Serario lib. 3 Rerum Moguntiacarum cap. 6, aliisque, sed vbiq; deest annus Pontificatus Zachariae cum Indictione. Sirmondus coniectat datam anno 1000XLIV; Baronius, Bucherius, Miræus aliiq; anno 1000XLVIII. Præfuit Ecclesiae S. Zacharias Papa ab anno 1000XLI ad annum 1000CLI, post quem diu superstes Heddo memoratum antè testamentum scripsit III *Idus Martij* regnante Pippino anno XI, Christi 1000CLX aut sequente: illud integrum edidit Guillimannus.

En vigintitres aut quatuor Episcopi, qui ab anno 000XLVI vsque ad annum 1000CLX per quatuor secula Ecclesiae Argentoratensi ab S. Amando, qui Synodo Agrippinensi interfuit, vsque ad Heddonem præfuerunt. Neque vlla earum Sedium, quarum Antistites dictæ Synodo anno 000XLVI adfuerunt, plures numerat vsque ad eos qui in citatâ Epistolâ Zachariae Papæ memorantur. Nam Rotomagenses referuntur *Eusebius* & *Reginfridus*, inter quos fuerunt Episcopi XXI. A S. *Servatio* vltimo Tungrensi ac primo Traiectensi, ad S. *Hubertum*, Traiecti sederunt Episcopi XX, post

eum Leodij *S. Florebertus*, ac dein *Fulcarius* in epistolâ *Zachariæ* memoratus. Apud Ambianenses inter *Eulogium* & *Rambertum* quindecim solùm Episcoporum supersunt nomina: quinque tantùm inter *Iessen* & *Davidem* apud Spirenses. Eadem ferè reliquorum Episcopatum ratio est, quorum Episcopi aut in Synodo Coloniensi memorantur, aut in *Zachariæ* Papæ Epistolâ. Expensa à nobis accuratè singulorum successio, at ne cui fastidium creet, hîc omissa. Hortatur *S. Zacharias* Papa Episcopos Galliæ & Germaniæ in dictâ epistolâ, vt ministeriis suis constanter insistant cum *Bonifacio* Archiepiscopo Moguntino, Sedis Apostolicæ Vicario. Numerantur ante *S. Bonifacium* quadraginta Episcopi Moguntini, quorum vicesimum censi *Martinum*, in Synodo Coloniensi memoratum, suprâ diximus: à quo tempore per tria subsecuta secula alij viginti eidem Ecclesiæ præfuerunt.

Wormatiæ Vangionum vrbis Episcopus primus habetur *Victor*, qui eidem Synodo Coloniensi subscripsit. II *Amandus*, qui *S. Seruatium* Episcopum Tungrensem, cùm Româ rediret, magnificè suscepit. Transtulit dein *S. Seruatius* Sedem Episcopalem Tungris Traiectum, ibique mortuus est anno *CCCLXXXIV*. III Episcopus Vangionum habetur *Carolus*. IV *Crotoldus*. VIII *S. Rudpertus*, siue *Rupertus*, quem antiqua eius Acta *xxvii* Martij tradunt anno II *Childeberti* Regis *Austrasiorum*, Christi *DLXXVII*, in *VVormatiâ* fuisse Episcopum, sed magnâ eiectam iniuriâ, primum *Salisburgensem* Episcopum factum. x statuitur *S. Amandus* eius nominis II, anno regni *DAGOBERTI* I Regis *Austrasiorum* VI, Christi *DCXXVI* aut sequente, de quo suprâ in *DAGOBERTO* I egimus. XII designatur *Geroldus* tempore *Carolomanni* ac *Pippini* & *Zachariæ* Papæ. Aliorum Episcoporum nomina intercidisse aiunt *Bruschius*

schius, Demochares, aliique Catalogorum Episcopaliū scriptores. Nos longè plures, quàm quinque ab iis recensitos, arbitramur fuisse: & conicere certò licet ex catalogo Episcoporum Moguntinorum & Argentoratensium, quæ vrbes Chunorum, Gothorum, Wandalorum, Alamannorum aliorumq; Christianæ religionis hostium persecutionē æquè passæ videntur. Eadem Episcoporum Spirensium ratio est, de quibus suprâ in DAGOBERTO I satis egimus.

V

*Archiepiscopi Treuirenses. S. Hildulphi et as, in-
q; Mediani monasterij regimine successores us-
que ad seculum XI.*

PRimaria Regum Austrasiorum ditio erat Belgica, cuius metropolis, Augusta Treuirorum. Sub hac Episcopales vrbes, Diuodurū Mediomatricorū ciuitas & Regum sedes, Tullum Leucorum, Verodunum. De harum vrbiū Episcopis, qui seculo septimo, DAGOBERTORVM præcipuè temporibus, floruerunt, pauca adnotamus. Browerus in illustri opere Annalium Treuirensium de illius ciuitatis Archiepiscopis agit, sed aliâ prorsus chronotaxi, cuius exactam rationem miramur à viro tanto neglectam. Initium regni DAGOBERTI apud Austrasios collocat ad annum 100XXVI, illique regna Neustriæ Burgundiæque adiuncta statuit ad annum 100XXXI; eo namque Chlotharium patrem mortuum & Remense Concilium sub Sonnatio habitum. Hoc nos Concilium suprâ retulimus ad annum 100XXIV aut sequentem. Ei interfuit *S. Modoaldus Treuirorum Episcopus*. Hunc tra-
dit

dit Browerus *Sebaudo* successisse 10cxxvi Christi anno, regni DAGOBERTI primo. Non displicet ea regni epocha: sed corrigenda altera, dicendusque S. Modoaldus ordinatus circa an. 10cxxii. Post annos Sedis triginta asserit Browerus eum sub regno Childerici decessisse anno Christi 10cclvi, ratus S. Sigebertum Regem Aufrasiarum vitâ functum anno 10ccliv aut sequenti, Childebertum filium Grimoaldi mox regno depulsum, ei que Childericum substitutum. Verum ad annum vsque 10cclxiii vixisse S. Sigebertum Regem supra ostendimus: quem vsus consilio Pontificum sui temporis, *Chuniberti Coloniensis, Nemoriani, seu Numeriani, Treuirensis, & Gisoaldi Viridunensis* auctor est ipse Childericus in diplomate donationum monasteriis Stabulao & Malmundario factarum supra relato. Vbi etiam indicauimus tabulas S. Deodato monasterij Vallis-Galileę fundatori ab eodem Numeriano tempore Childerici Regis signatas. At Browerus scribit se *nihil de Numeriano, præter Epitaphij memoriam, veterum monumentis traditum reperisse*. Inscriptus est Martyrologio Romano ad diem v Iulij.

Succedit Numeriano S. *Hildulphus*, quem Browerus alii que passim ad tempora Pippini Regis & annum Christi 10ccliv reiiciunt. Acta eius MSS. varia sunt, sed nulla absque næuis, pleniùs emendanda xi Iulij: præcipua incipiunt his verbis: *Quoniam quicumque baptizati, Christum induti sunt, & hereditatem animo suspirarunt eterne salutis, ut aliquando illam valerent consequi, vsi sunt lumine caritatis*. Ex his Actis nonnulla citantur in Vitâ S. Agricij Episcopi Treuirensis editâ xiii Ianuarij cap. 2 num. 10. Traditur in iis S. Hildulphus natus regente Noricorum, hoc est *Bavvaricorum, gentem Garibaldo, & Aufrasiis imperante Theudeberto filio Childeberti*. Andreas Brunnerus lib. 5 Annalium Boiorum asserit circa annum

IOCVII Thassiloni mortuo successisse Garibaldum, quo regnante Theodebertus obiit à fratre victus anno IOCXII. Quàm procùl hæc tempora distant ab anno IOCCCLIV, quo Hildulphum volunt creatum Episcopum. Sed pergit Vitæ illius auctor: *Moribus Ecclesiasticis assuefactus Hildulphus apud urbem, vulgò Regenesburch dictam, Clericatus honore donatus est ... Tandem exemplo fidelis Abrahæ terrâ, cognatione, domoq; parentum egressus, iter arripuit Sicambriam versùs, subiitq; civitatem Treuerim ... Erat illis diebus in regio palatio Ansgisus Arnulfi filius, cui post multum temporis decedenti successit Pippinus filius, qui & alios filios habuit; sed ex his præcipuus Carolus extitit, primè ex Francis magni Imperatoris Caroli avus. Ansgisus, cuius hîc stirps augusta explicatur, floruit potissimum sub Regibus Sigeberto & Childerico. Publicis igitur utilitatibus, inquit auctor, inuigilante Ansgiso iam dicto, & Milone Archiepiscopo Treuirensum rebus humanis exempto ... communi voluntate Treuitorum confirmatur Antistes Hildulphus. Hic næuus nominis Milonis intrusi posteriores scriptores in errorem abduxit: at Numeriano substituto, qui cum Ansgiso vixit, securè progredimur.*

Factus ergo Archiepiscopus Treuitorum Hildulphus tempore Childerici & Ansgisi, magnâ apud Regem auctoritate pollentis, priuilegia immunitatesq; à decessore suo Numeriano & Pontifice Romano datas, S. Deodato confirmavit: ac relicto Episcopatu, Medianum monasterium extruxit, cui simul & Valli-Galilææ à morte Deodati præfuit. Eum enim, vnaque SS. Arbogastû & Florentium, (qui deinde Episcopi Argentoratenses fuere) sancti propositi socios habuerat, temporibus Childerici, Theoderici & DAGOBERTI II filij S. Sigeberti, vt suprâ probauimus. In Fragmento historico, quod Alberti Argentinensis Chronico

Ff

præfixum

præfixum est, dicitur *Athicus*, siue *Adalricus*, regnante *Childe-rico* uxorem duxisse, *Bersuindam* nomine, sororem *Reginæ*, genuisseq; filiam à natiuitate cecam, nomine *Odiliam*, quæ à *S. Erhardo Ratisponensi Episcopo* & *Hildolfo Treuerensi* baptizata, in sacro fonte visum recepit. In Vitâ *S. Hildulphi* dicitur baptizata, cùm is iam diu relicto Episcopatu in *Vofagi* partibus degeret. Coluntur *S. Odilia* XIII Decemb. *S. Erhardus* VIII Ianuarij, cuius illic varia Acta dedimus. At mortuus est *S. Hildulphus*, vt in eius Vitâ legitur, v Idus Iulij, cùm ageretur annus ab Incarnatione *Iesu Christi* 1000VII, consulatu *Iustiniani minoris Augusti*, à *Leone*, imò *Leontio*, contra eum rebellante narium de truncatione deformati, v Indictione, *Sergio venerabili Papâ*, cuius duo proximiores successores nomen *Ioannis* possederunt, Romanam Ecclesiam regente. Verùm hæc omnia exactiùs conueniunt in annum Christi 1000CII, quando Indictione V imperabat, necdum expulsus, *Iustinianus*; *S. Sergius* Ecclesiæ præerat, creatus Pontifex sub finem anni 1000LXXXVIII, mortuus anno 1000CI: cui successerunt *Ioannes VI* & *Ioannes VII*, quorum hic dicto anno 1000CVII è vitâ migravit. Verùm siue anno priore, seu posteriore, aut etiam tempore intermedio diem extremum *Hildulphus* obierit, ad prouectam peruenit senectutem, vt octogesimum aut etiam nonagesimum vitæ annum attigerit.

Post *S. Hildulphum* præfuerunt monasterio *Mediano* *Reginbertus* annos quinquaginta, *Sinidrabertus* ultra viginti, *Vadaluninus* vix duodecim, *Fortunatus* Patriarcha tempore *Caroli Magni* electus, annos viginti. Seculo nono secuti sunt *VValdo*, *Ysimundus* quondam Episcopus, *Theodericus*, *Reginardus*, *Pippinus*. Dein seculo decimo substitutis Clericis imperarunt Comites *Hillinus*, *Ricquinus*, *Otto*, *Boso*, *Amarus*, *Gislibertus*: hic monasticum ordinem restituit, sub *Frederico* Duce

co Duce Lotharingæ, S. Gerardo Episcopo Tullensi, Otone I Imperatore, atque *Adelbertum* Abbatem constituit: cuius successor *Nardulfus* anno Christi cixiv vivebat. Hæc pluribus exponuntur in libello MS. de successoribus S. Hildulphi in Vosago, quem auctor Vitæ eius seculo xi scripsit, cum celebri mentione *Domni Abbatis Lamberti*, qui anno ab *Incarnatione Domini cixliiii in vi Feriâ, quæ ii Nonas Nouembris habebatur, corpus gloriosi Martyris Bonifacij de Begonis-cellâ ad Medianum monasterium reuexit.* His interpositis, quorum notitiâ videtur Ioânes Ruerus in Antiquitatibus Vosagensibus non habuisse; redeo ad Archiepiscopos Treuirenses.

S. Hildulpho sufficit Browerus *VEomadum* ad annum 100CLXVIII, quasi ille tum in eremum Vosagensem ad S. Deodatum secessisset, Medianum monasterium condidisset, ac S. Odiliam baptizasset. Quibus expositis ita concludit: *Atque hæc quidem, quòd nullâ annorum digesta serie legerim apud veterem scriptorem, si non concinnâ methodo, at optimâ fide tradere conatus sum, gnarus quàm erubescendo genere scripta de Erhardo, Hildulpho & Odiliâ circumferantur, quorum fidem auctores minimè vindicent.* Hæc Browerus, meritò aliquam rerum temporūque perturbationem suspicatus, à quâ tamen se nec sic extricat. Nos ab eo recedimus ad seculum præcedens, quando S. Hildulphus, circa annum 100CLXX Archiepiscopus Treuirensis fuit. Cui in eremum secedenti, S. *Basinus* successit, regnante adhuc Childerico, vixitque vsque ad tempora Childeberti, quo rerum potente è vitâ decessit circa annum Chr. 1000. S. *Lutvvinus*, Basini ex sorore Gonzâ nepos, & Mediolacensis monasterij fundator, ad Ecclesiam Treuirensis administrandam post auunculum assumptus est: atque Episcopus subscripsit donationi S. Irminæ Abbatissæ, factæ Kalend. Decemb. anno IV regni Childeberti,

Christi 1000. cuius donationis diploma suprà dedimus. *Lutwinus in episcopatu constitutus, res quæ sibi hereditario iure obuenerant, vel pretio comparauerat, Mediolacensi monasterio contradidit anno Childeberti Regis XII, Christi 1009 aut sequente: uti in eius Vitâ legitur. S. Lutwino successit filius eius Milo, quem ait Hincmarus in Præfatione ad Vitam S. Remigij, tonsurâ Clericum, moribus, actu, habitu irreligiosum laicum episcopia Remorum ac Treuirorum per quadraginta circiter annos pessumdedisse. Obtinuit Episcopatum Remensem expulso anno 1000 XVII S. Rigoberto legitimo Episcopo, circa quod tempus videtur S. Lutwinus ex hac vitâ migrasse XXIX Septemb. quo colitur: uti IV Martij decessor eius S. Bafinus. De S. Chlodulpho Episcopo Metensi ad classem Archiepiscoporum Treuirensium non admittendo suprà egimus.*

V I

Episcopi Tullenses, Virdunenses, Metenses, Colonienses.

QVæ hîc in S. Hildulpho explicata est difficultas, Tullenses etiam attingit Episcopos: quorum qui decimus quintus à Claudio Roberto recensetur *Teufredus*, in diplomate donationû à S. Sigeberto Rege pro monasteriis Stabulao & Malmundario signato post an. 1000 CLX, *Theodefridus* appellatur. Huius successor traditur fuisse XVI *Leudinus*, cognomento Bodo, frater S. Salabergæ Abbatis, de quâ suprà egimus. Hic soluto coniugio, *in casaricâ monachi agebat officium. At non multò post Tulli oppidi adeptus Episcopatum, non multò post natura debitum reddidit; uti in illius Vitâ habetur.*

tur. xvii est *Eborinus*, quem cum S. Numeriano Archiepiscopo Treuirorum sub Rege Childerico vixisse supra dictum est. Et hæc tempora sunt, quibus S. Deodatus cœnobium Vallis-Galilææ condidit. Auctor Vitæ S. Hildulphi, quo cœperat errore huius episcopatum ad regnum vsque Pippini post Milonis obitum differre, eodem tradit S. Hildulphum secessisse in eremum tempore *Iacobi* Episcopi Tullensis xxv, & ab eius decessore *Girbaldo* locum in saltu Vosagi obtinuisse: qui Episcopi tempore Milonis, aut etiam seriùs præfuerunt Ecclesiæ Tullensi. Auctor Vitæ S. Deodati eosdem errores describit, & quasi semet correcturus, addit *S. Hildulphum tempore Iacobi Leucorum Episcopi anno Christi 100CLXXI, ab aduentu S. Deodati ad Vallem-Galileam tertio, ad eremum venisse. Hic nobis, inquit, ne fortè succenseat ullus, & duos Pontifices Leucorum, Godonem scilicet & Bodonem fuisse inter Girbaldum (cuius diebus B. Deodatus reliquisse Episcopatum Niuernensem fertur) & inter Iacob, cuius tempore Dominus Hildulphus. Nec conuenire rationi, ut quatuor Episcopi administrauerint pontificium vix tribus annis. Hæc ille auctor: contra quem rectè adnotat Ruerus par. 2 Antiquitatum Vosagenium lib. 1 cap. 14, S. Deodato locum monasterij sui non assignasse Garibaldum, sed potiùs Eborinum, si id fecerit aliquis Episcopus Tullensis: verùm maiori certitudine attribuendum esse S. Numeriano. Habemus confirmationem donationis à Grodegango Episcopo Metensi, factæ monasterio Gorziensi, in Compendio palatio publicè in Synodo congregatâ anno 1000CLVI, regni Pippini VI, die xv Kalend. Iunij, cui subscripsit Iacob peccator Episcopus, quem eundem, de quo agimus, urbis Tullensis esse opinamur. Securiùs, ex libello successorum S. Hildulphi supra indicato, dicuntur S. Gerardo Episcopo Tullensi subrogati *Stephanus*, dein *Bertoldus*, omisso Roberto, quem*

alij inter hos duos collocant.

Tullo vicinum est Verodunum, altera sub Treuirensi Archiepiscopo Sedes Episcopalis, de cuius Episcopis præclarum opus edidit Richardus Wasseburgius Ecclesiæ Viridunensis Archidiaconus: qui tamen nec Regum Francorum, neque ipsorum Episcoporum annos semper rectè disposuit. Decimus huius Sedis numeratur *S. Agericus*, quem Gregorius Turon. qui cum illo sub eodem Rege vixit, lib. 9 cap. 23 tradit *diem obiisse anno XIII Childeberti Regis Austrasiorum*, ergo Christi 10LXXXVIII: cuius tamen obitum Wasseburgius refert ad annum 10XCV, VII annorum errore, quem alij ex Wasseburgio describunt.

S. Agerico substitutus legitur apud eundem Turonensem *Charimeres*, seu *Charimerus*, antea Regis Cancellarius. Huic successit tempore Theodeberti II *Hermenfridus*, quem mortuum tradunt postquam triennio Austrasiæ regnum Chlotharius occuparat, ergo anno 10CXVI, non 10CXXI, vt cum Wasseburgio alij tradunt ad quinque annos aberrantes. At maiori mendo omissus est *Godon*, quem supra ostendimus interfuisse Synodo Metensi sub Sonnatio anno 10CXXIV aut sequenti: quo ferè tempore, expensas DAGOBERTO Rege Austrasiorum præbente, fundatum est monasterium Theologiense iuxta oppidum *S. Wendelini*, in quo *S. Paulus* per aliquot annos commoratus est monachus, dein Abbas factus, ac postea creatus Episcopus Viridunensis, subrogatus non *Hermenfrido*, multis antè annis mortuo, quam extrueretur monasterium Theologiense; sed *Godoni*, cuius Sedi X, aut XII anni sunt tribuendi. Mortuus est *S. Paulus* circiter annum 10CXLIX, VIII Februarij, quo die exactius hæc ad eius Vitam examinamus paginâ 170 & sequentibus. In Pauli locum electus est *Gisloaldus*, seu *Gislocardus*, in supra relatis Regum

gum Sigeberti & Childerici diplomatis memoratus. Huius successores traduntur *Gerebertus*, dein *Armonius*, quem bona quædam Ecclesię suæ cum Pippino Herstallo eiusque coniuge Plectrude commutasse xx Ianuarij, anno VII Childerberti Regis, Christi 1000 v, suprâ ex antiquis tabulis ostendimus. Eodem adhuc Childeberto regnante *Agrebardus* Viridunensium Episcopus fuit, quem testamento Wolfandi fundatoris Abbatia S. Michaëlis subscripsisse diximus.

Inter Metenses Episcopos, xxix habetur *S. Arnulphus*, qui, vt auctor coæuus in eius Vita, è codicibus MSS. edendâ XVI Augusti, scribit, *sub Theodeberto II Rege Austrasiorum per multa experimenta probatus, omnium primus in palatio effectus est, & sex prouincias in suâ administratione solius rexit arbitrio: dein cum vrbs Metensium Prasule indigeret, vnâ voce populorum acclamatum est, Arnulphum Domesticum atque Consiliarium Regis dignum esse Episcopum: sicq; deinceps & Episcopales gestauit infulas, & primatum Palatij tenuit.* Hæc ibi, non indicato Rege qui tunc Austrasiis imperauit. Hinc auctor Vitæ *S. Goërici*, eius in Episcopatu successoris, sub eodem Theodeberto asserit Episcopum fuisse. In Actis MSS. *S. Chlodulphi*, eius filij, legitur *sub Rege Theoderico B. Arnulphum, Clero & populo postulante, ex eruditissimo laico & sanctissimo Maiore. Domus de repente Clericum factum, Cathedra Pontificali felicissimè ad regendum fuisse eleuatum.* Anno id 1000 xi aut saltem sequenti factum fuisse oporteret. Etenim anno 1000 xiii Theoderico extincto, monarchiam Francorum consecutus est *Chlotharius II*, quo consentiente, in alijs *S. Arnulphi* Actis MSS. dicitur *ipse renitens in Episcopum Metensem assumptus.* *S. Bertrannus* Episcopus Cenomanensis testamentum fecit VI Kalend. Aprilis anno vicesimo secundo regnantis *Chlotharij* Regis, qui annus esse videtur 1000 xviii, ducto eius numeri initio, non à morte Chilperici

Chilperici patris, sed ab eo tempore, quo post Childeberti patruelis sui obitum partem non exiguam regni eius occupauit Chlotharius. In eo testamento, basilicæ Cenomanensi SS. Petri & Pauli donat *villam Vocriano*, quam *partiuerat cum Domino Arnulpho Episcopo Metensi*, & sibi *tenuerat*. huic permit- tens *villas, quæ fuerant Egulsi & Arnoaldi*. Integrum instrumentum edidit Antonius Coruæserius in Historiâ Episcoporum Cenomanensium.

DAGOBERTVM Regem Austrasiorum à Chlothario patre constitutum, S. Arnulphi prudentiâ eruditum fuisse, eius- que consilio prudenter regnasse, etiam aliquot post obitum Chlotharij parentis annis, suprâ diximus. Hinc secessum Arnulphi ad eremum Vosagi relicto Episcopatu arbitramur contigisse circa annum 1000 aut sequentem. Sedi S. Arnulphi vulgò attribuuntur anni quindecim, qui ad calcem libelli Pauli Diaconi de Episcopis Metensibus, tempore Caroli Magni scripti, leguntur. Verû ea appendix est alterius scriptoris minùs accurati, qui S. Pappolum decessorem Arnulphi, à Paulo etiam indicatum, omisit, atque eius loco præposuit Arnoaldum assignatis illi annis xxvii & diebus xxx. Huius decessori *Agiilio*, quem alij *Aigulfum*, siue *Agiulfum* appellant, commendauit S. Gregorius Magnus, vt & aliis Galliarum Episcopis, S. Laurentium anno 1001 in Britanniam redeuntem: vt ostendimus II Februarij ad Vitam eiusdem S. Laurentij Cantuariensis Archiepiscopi pag. 291. Est ea epistola 52 libri 9 Registri S. Gregorij. Fuerunt autem secundùm Pauli Diaconi catalogum hoc ordine Episcopi Metenses: *Agiulfus. Arnoaldus. Pappolus. S. Arnulphus. S. Goëricus*, qui corpus S. Arnulphi circa an. 1000xxxviii è Vosago Metas transtulit. *Godol. S. Chlodulphus*, filius S. Arnulphi: ad hunc S. Trudo circa annum 1001 aut sequentem à S.

Remaclo

Remaclo Episcopo Traiectensi Metas missus, plurima bona, raro exemplo, legavit Ecclesiæ S. Stephani, ibidemque pluribus annis sacris profanisque studiis institutus, ac Sacerdos ordinatus, rediit ad S. Remaclum anno Episcopatus huius x, Christi 100CLIX. Vixit dein S. Clodulphus Episcopus Metensis cum Gilloaldo Viridunensi, Eborino Tullensi, S. Numeriano Treurenensi, sub Childerico Rege: vti iam sæpius dictum est.

Tempore S. Arnulphi & trium successorum, floruit S. *Chunibertus* Episcopus Colonienfis, qui cum S. Arnulpho interfuit Concilio Remensi anno 100XXIV aut sequenti. Post cuius ad eremum secessum, DAGOBERTVM consilio S. Chuniberti prosperè vsum fuisse, ei que commendasse S. Sigebertum filium, Regem Austrasiorum creatum, supra diximus. Idem post obitum DAGOBERTI cum B. Pippino aliisque Austrasiæ Optimatibus, thesaurum illius cum Principibus Neustriæ diuisit anno 100XLV. Et hæc tempora sunt, quibus S. *Goëricus* & *Godo* apud Metenses floruerunt. Denique cum consilio S. *Chuniberti* Colonienfis Archiepiscopi, nec non Episcoporum *Attelani* Laudunensis, *Theodefridi* Tullensis, & *Gislocardi* Viridunensis, donationes monasteriis *Stabulao* & *Malmundario* factas approbavit S. Sigebertus Rex post annum 100CLX.

Gg VII Episcopi

Episcopi Traiectenses ad Mosam. S. Lamberti exilium sub DAGOBERTO II, caedes sub Pippino Herstallo.

PLura hîc de Traiecti ad Mosam Episcopis dicenda forent, nisi ea singulari Diatribâ antea seorsim disputassem. Quæ autem contra obiici posse videbantur, obiter refutavi ad Vitam S. Amandi Episcopi Traiectensis vi Februa. § 7 & 8 à pag. 824. Paucula, quia ad historiam Regum DAGOBERTORVM spectant, repeto. XVI Episcopus Traiectensis fuit S. Ioannes Agnus, qui, teste Harigero cap. 32, *vir pius ac locuples, ab agriculturâ regis præceptis ad Episcopatum rapitur, regnum Austrasiorum administrante DAGOBERTO adolescente: ergo ante annum 100XXV, quando necdum ductâ vxore, Austrasiam tantùm septentrionalem regebat DAGOBERTVS I. Ipse verò B. Ioânes cursum vitæ presentis explens, in bonâ senectute decessit, xxv Iulij anni 100XLVI.* Dein S. Amandus antè ad prædicationem Euangelij Episcopus consecratus, à Rege & Sacerdotibus coactus, triennio solùm, quod annis Christi sexcentesimo quadragesimo septimo, & duobus sequentibus terminamus, Traiectensi Ecclesiæ præfuit. Profectus is Romam anno 100CL ad S. Martinum Papam, atque ab eo impetratos messis Euangelicæ adiutores, SS. Landoaldum, Amandium aliosque, secum in Belgium anno 100CLI adduxit. Proinde haud potuit S. Landoaldus, quòd à nonnullis asseritur, nouem antè annos vices S. Amandi in Episcopatu Traiectensi gessisse. Et hæc paucis attigisse sufficiat. Integra S. Amandi

Amandi Acta à pluribus conscripta ad vi Februarij edita sunt à pag. 815 ad pag. 903.

In disputatione historicâ ad tomum i Chapeauillæi cap. 6 num. 100, tradit auctor, ab eo tempore, quo S. Amandus à Martino Papâ impetrauit veniam decedendi Episcopatu, id est, ab anno 1001, nullum definitum Episcoporum Traiectensium characterem apparere ante mortem primi Leodiensium Episcopi, siue annum Christi 1000, per annos omnino septuaginta septem, quo interuallo quatuor tantum concluduntur Episcopi Remaculus, Theodardus, Lambertus, Hubertus, omnes Sancti. Ex his LXXVII annis conceduntur S. Huberto triginta, eiusque ingressus componitur cum vere anni 1000, S. Lambertus dicitur cœpisse ineunte anno 1001, ac labente Episcopatus sui anno XL cœsus, XVII Septembris. Atque ita SS. Remaculi & Theodardi Pontificio quinque solum annorum spatium relinquitur: idque, vt fatetur, absque ullo apparente characterem. Secundum hanc chronologiam in tabulis adiunctis assignatur triennium Episcopatus S. Remaculi, ab anno 1001 ad annum 1003, quo dicitur illi Stabuletum sponte decedenti successus S. Theodardus. Verum anno vi Episcopatus S. Remaculi cœpta sunt extrui Stabulaus & Malmundarium: & S. Trudo ad intelligendum indaginem sacre Scripturae, anno vi Episcopatus S. Remaculi studium, conuertit, & dein sacre Scripturae scientiis sufficienter imbutus, anno x Episcopatus S. Remaculi est Sacerdos à S. Chlodulpho ordinatus. Dein Metis reuersum S. Remaculus in collegam ad predicandum Euangelium Christi assumpsit, partitoque onere cura pastoralis, Ecclesias ordinare, & Pœnitentiæ sacramentum conferre suâ auctoritate iniunxit. Tunc S. Trudo ad Sarcinium locum suæ nationis iter direxit, & fundandi cœnobij fundamenta iecit. Circa idem tempus S. Remaculo ab onere cura pastoralis absoluto, S. Theodardus Abbas Stabulensis, constituitur Traiectensis Episcopus, post paucos dies à Chuniberto Archie-

piscopo Coloniensi consecratus. His ipsis verbis ista in Trudonensi Chronico MS. cap. 6 & sequentibus narrantur: confirmanturque in S. Trudonis Vitâ xxiii Nouembris à Theoderico monasterij illius Abbate scriptâ.

En decem anni Episcopatus S. Remacli certis characteribus probati. Huic ergo anno 10CLX Stabulaum decedenti suffectus est S. Theodardus, quem volunt *anno 10CLV martyrio coronatum.* In Floribus Ecclesiæ Leodiensis paginâ 6 in Serie Episcoporum hæc leguntur: *S. Amandus cessit anno 10CL. S. Remaclus cessit 10CLIII. S. Theodardus obiit 10CLVI.* Et hæc omnia *absque vlllo apparente caractere* affirmantur. Certissimum nos suprâ protulimus in tabulis donationum *Childerici Regis, datis quando fecit mensis September dies VI, anno VIII Domni Childerici Regis, Traiecto feliciter.* In his pro monasteriis Stabulao & Malmundario *iubet Rex Domno & Patri Theodardo Episcopo, cum forestariis loca mensurare & designare.* Annus is est 10CLXXII, quando Childericus maturâ iam ætate vxorem duxerat Bilichildem, quæ cum Imnechilde Reginâ, viduâ S. Sigeberti, easdem tabulas signauit. Harum autem tabularum dum meminerunt Reges Theodericus frater Childerici, & Chlodoueus III, atque Imperatores Ludouicus Pius, Otto II & Henricus II, ac denique Leo IX Pontifex Maximus, securos de iis nos reddunt. Auctor Vitæ S. Theodardi, à Sigeberto Gemblacensi meliori stylo adornatæ, dum ab Episcopatu S. Amandi anno 10CXLVI inchoato ad martyrium vsque S. Theodardi *triginta circiter annos* interponit (quibus *Ecclesia Traiectensis possessionum suarum quantitate mutilata, atque irruentibus undique procellis agitata est*) necessariò necem S. Theodardi ad annum vsque 10CLXXVI reiecit: quo anno arbitramur eum pro Ecclesiæ defensione Martyrem apud Nemetes x Septembris occubuisse. In Chronico

Chronico MS. collegij Treurenensis Societatis Iesu, auctore Saxone anonymo, hæc habentur *anno Christi 1061* XXXIII, *Constantini* XIV: *S. Lambertus Traiectensi Episcopatu successit S. Theodardo*. Verùm huic MS. Chronico haud magna apud nos est fides. Nam in eo dicuntur *DAGOBERTVS* I obiisse anno 1061 XIII, ac filius eius *Chlodoueus* anno 1061 XXXI.

Vltimi ergo Ecclesiæ Traiectensis Præsules fuere SS. Lambertus & Hubertus, quorum Episcopatus annos integros quinquaginta assignamus, ab anno scilicet 1061 XXVII ad 1061 CCXXVII. Sed quot sint singulis horum attribuendi, non æquè liquet. Inter auctores, qui Vitam & martyrium S. Lamberti scripserunt, primus habetur *Godeschalcus*, Ecclesiæ Leodiensis Diaconus, qui eam lucubrationem aggressus iussu Agilfridi Episcopi anno 1061 CLXI ordinati. Hunc tamen *Godeschalcum* tradunt aliqui, Vitam illius deflorasse ex priore, quæ extat in variis MSS. auctore anonymo quidem, sed *contemperaneo*, vt scribit *Chesnæus* tomo I Historiæ Francorum, vbi pag. 674 & sequenti, partem eius edidit. Prologus vtriusque idem est, vbi auctor dicit se *narrare conuersationem vite eius. quæ ab adolescentiâ suâ plurimis comper-ta fuit, & per viros prudentes cognita firmatur. & se effari cursum vite eius, & gloriosam martyrij palmam, sicut per fideles viros & idoneos testes ad suum peruenisset auditum*. Ex hac Vita pauca decerpo: *Interfecto Theodardo, consilio plebis & simul cum Regis Childerici imperio, subrogatus est Landebertus, vt præset Ecclesiæ Treiectensi. Porro Rex cum almitatem eius percunctasset, diligebat illum super omnes Pontifices & Optimates suos. Erat enim Consiliarius fortis & omnem sapientiam cum curâ & moderatione gerebat Apud Regem summum tenebat locum. . . Cum interfectus fuit ab impiis gloriosus Rex Childericus, tunc inuidus omnium bonorum diabolus festinus insurrexit contra beatum virum. Tunc aduersarij*



sauiſſimi, iniqua & falſa conſilia machinantes, vt eum de Sede Pontificali dericerent. Et ita prauauit iniquitas eorum, & depoſuerunt eum de Sede ſua ſine cauſa. & priuatus de honore ſuo abſque culpa. Poſthæc Faramundum in Cathedram illius conſtituerunt. Electus Dei Landebertus Pontifex perrexit ad monaſterium, quod vocatur Stabolaus, nec ampliùs in obſequium eius remaſerunt, quàm duo pueri. Qui vnus ex eis Theodoenus multùm nobis de vitâ & operibus eius ſolitus eſt narrare. Hæc ibi, quæ alij deſcripſerunt. Occiſus eſt Rex Childericus anno DCCLXXIX, cuius videtur S. Lambertus & necis auctores culpaffe, & filios voluiſſe ad regni ſucceſſionẽ promouere. Contra quos Neuftrij Theodericum ſibi Regem ſumpſerunt; Auſtraſij Chlodoueam, Chlotharij III creditum filium, eoq̃ue reiecto aliquamdiu etiam Theodericum. Verùm cùm Ebroini non ferrent ſæuitiam, labente anno DCCLXXX DAGOBERTVM II ad regnum euocarunt. Eiectus eodem videtur anno S. Lambertus, & forſan ab Ebroino, cui poſteriores ſcriptores eius adſcribunt exilium. Nec reuocatus eſt à DAGOBERTO, quòd Eccleſiæ Traiectenſi præeſſet Faramundus, ad eam Sedem, vt ferunt, promotus ab Epifcopo Coloniẽſi; qui apud DAGOBERTVM videtur plurimùm gratiã valuiſſe, vt eum propterea idem Rex iuſſerit ad procurandam Friſonum conuerſionem incumbere. Alioquin S. Lamberto apud Optimates regni, per quos DAGOBERTVS erat ad regnum Auſtraſiorum euocatus, obelle poterat affectus erga Childericũ filioſq̃ue.

De Cathedrâ S. Lamberto reſtitutâ hæc habentur in eadem Vitâ: Poſt, ſeptem annis expletis, depositus eſt Faramundus de Sede Pontificali, & eiectus de prouinciâ Treiectinſe. In illo tempore erat Princeps Pippinus ſuper plurimas regiones & ciuitates ſitas Europæ. Audita opera beatiſſimi viri, ſub vnus diei articulo iuſſit eum cum magno honore ad propriam Sedem reuocari. Vitâ fun-

cti

ti sunt & DAGOBERTVS Rex, & Vulfoaldus Maior-Domus anno 10CLXXXVII, & summa regni Austrasiorum præfectura à mense Iunio penes Pippinum fuit: cuius imperio eodem adhuc anno reuersus esse ad Sedem Traiectensem videtur S. Lambertus: quo & Ebroinus est interemptus.

Cædis autem S. Lamberti hæc ibidem occasio narratur: *Cùm Dominus vocasset S. Landebertum, ut propter tanta opera dignam ei redderet mercedem, insurrexerunt duo pessimi homines Gaullus, & germanus suus Roldus in aduersitatem eius, & seruientes Ecclesiæ suæ, in tanta opera peruersa, ut nullus eos ferre potuit, nec euadendi erat locus ante illos. Repleti amici Pontificis irâ & tristitiâ, calamitate magnâ compulsi, & humilitate depressi, interfecerunt eos ex merito eorum. In illis diebus erat Dodo, Domesticus iam supradicti Principis Pippini, proprius consanguineus eorum, qui interfecti fuerant. Et erant ei possessiones multa, & in obsequio eius pueri multi. Cùm audisset necem proximorum, collexit magnam copiam virorum, fortissimos ad præliandum: mox irruit ad interficiendum beatissimum virum Landebertum Pontificem in villâ, cuius vocabulum est Leodio, sitâ super fluium, qui vocatur Mosa &c. Vna eademque patrata à Dodone cædis cæussa adfertur in Vitâ à Godelchalco apud Chapiauillaum, atque alterâ à Stephano Episcopo Leodienti ducentis à S. Lamberti transitu annis conscriptâ.*

Oratorium SS. Cosmæ & Damiani, in quo beatissimus Christi Sacerdos telo transfixus, animam Deo transmisit, pluribus mox illustratum est miraculis, etiam cæcis illuminatis. Quare, necdum anni curriculo expleto, ecclesia in eodem loco extructa est, & magno populi concursu frequentata: in eâque loco corporis Traiectum delati, lectus collocatus est, artubus eius sanctificatus. Ecclesia illa dicitur *basilica S. Lamberti Martyris*, in Historia iussu Childebrandi scriptâ cap. 104, &

in Annalibus Metensibus ad annum 1000xiv, quo in eâ Grimmoaldus filius Ducis Pippini, est interfectus. Sancti viri nomen Fastis sacris inscriptum est. Martyrologium Romanum hoc eum exornat elogio ad xvii Septemb. *Apud Leodium B. Lamberti Episcopi Traiectensis, qui cum regiam domum zelo religionis increpasset, à nocentibus innocens occisus, aulam regni celestis perpetuò victurus intrauit.* Priora verba de regîâ domo increpitâ, ex Adone desumpta sunt, reliqua ex Vsuarado. Vti hîc regîa domus, ita alibi regnandi & regni voces tribuuntur Pippino, eiusque hæredibus, qui licet Reges non essent, plusquàm regîâ tamen pollebant auctoritate. Ita in breuibus Francorum Annalibus, vt suprâ dictum, *Pippinus senior regnare cepit.* & Chronicon Hildensheimense an. 688. *Pippinus Dux filius Anschisi post mortem VVlfaldi Ducis cepit regnare.* Similia in eo habentur ad annum 714, 741, & 747, in Fredegario continuato, & aliis passim. In Annalibus Bertinianis dicuntur anno 1000xlii *Carlomannus & Pippinus in itinere diuississe regnum.*

At quænam accenderint *zelum religionis* in S. Lamberto, vt *aulam regiam increparet*, silent antiquiores scriptores, nisi fuerint contumeliæ & conuicia à Gallo & Rioldo illata, rei familiaris direptio, & intolerabilis ministrorum oppressio: quæ, Dodone eos protegente, contra ius fasque omne dissimulabantur à Principe. Posteriores aliam causam adiunxerunt. Anselmus Canonicus Leodiensis seculo xi ita scripsit: *Altera fuit causa, quòd Pippinus Maior. Domus regie, face libidinis adulterina succensus, memorati Dodonis sororem Alpaidem legitima coniugi Plectrudi superinduxisset. De quâ re Sanctus Dei Lambertus, tantum in Principe perhorrescens facinus, adulterini criminis eum arguere non reformidabat.* Hæc ille, quæ postea aucta aded sunt, vt etiam asseruerint Plectrudem legitimam vxorem domo eiectam ac repudiatam à Pippino fuisse. Ea suprâ confutauimus. Successit

Successit Lamberto S. Hubertus vltimus Traiectensium Episcopus, primusque Leodiensium, mortuus anno 1000-
XXVII feriâ sextâ xxx Maj. Cuius corpus ab obitu eius anno XXI,
Carolomanni ac Pippini fratrum III Christi 1000XLIII, die Do-
minicâ, III Nouembris est eleuatum.

V I I I.

*Primorum Regum Principumque primæ & secun-
dæ stirpis in eadem Traiectensi Diœcesi sedes.*

Illud postremò ad eius, quâ de egimus, Diœcesis Traie-
ctensis gloriam addendum videtur: primis Francorum Re-
gibus in eâ sedem, Principibus illis, à quibus secunda stirps
Regum orta, possessiones per amplas domiciliumque fuisse.
Non ago hîc de B. Pippino, patre SS. Gertrudis & Beggæ,
S. Sigeberti Regis Maiore-Domus, qui, vt in Annalibus
Metensibus dicitur, *populum inter Carbonariam siluam & Mo-
sam fluum & vsque ad Fresonum fines vastis limitibus habitan-
tem iustis legibus gubernabat.* Eius nepos Ansigisi & S. Beggæ
filius Pippinus, Crassus agnomine, in villâ Herstallo potissi-
mum habitauit, fortassis & ibi natus, vnde & illi Herstallo,
aut Herstallio cognomentum apud scriptores. Quamquam
& aliud habuit ex opposito Herstalli palatium in Iupiliâ vil-
lâ, quæ in quodam eius diplomate, citato à nobis suprâ pag.
162, *villa Bagolofus* dici videtur. Infra Leodium iacet vicus
vterque, cis Mosam Herstallum, trans eum Iupilia. Hîc pa-
latij locus in modico colle ostenditur. Quod Herstalli fuit,
aiunt ex eius materiâ pontē esse constructum: at neque pa-
latij nunc, neque pontis vestigium apparet. Vox ipsa *Herstal,*
H h Exercitus

Exercitus stabula significat, quasi isthic publicum equise fuerit. Infra Herstallum iacet pagus alter *Hermal*, quasi *Exercitus conuentum* dicas. Iis locis potentiam suam firmare illi Maiores - Domus regia, ac Regum Reges, Pippinus, Martellus, Pippinus Breuis, qui deinde Rex fuit. Magno denique Carolo & Ludouico Pio, Pippini huius filio ac nepoti, Herstallum quoque in deliciis fuit, ac Aquæ-Grani in eadem diœcesi (sed iam tunc Leodiensi) modò vrbs elegans. Aliud in Episcopatu eodem domicilium Pippino Herstallo fuisse videtur in Mosariorum districtu, vnde ipse S. Wironem Episcopum *gratiâ confessionis discalceatus adibat*, vt in huius Vitâ ad VIII Maij dicitur: *vam solitus erat illi lubrica lapsus humani detegere*. Ac deinde ista subnectuntur: *Consultis etiam natu maiorum interesse saepe accitur, quandoquidem habitus consilio, nec futilis eloquio*. Non enim existimo bidui triduiue itinere vel sanctum virum euocatum Iupiliam Herstallum-ue fuisse, vel hinc Principem ad eum fuisse profectum. Erat autem S. Wironis monasterium ad Ruram flumen, leucâ vnâ supra Ruremundam, de quo eadem Vita: *Pippinus B. VVironem mox inter suos honoratum, cunctisq; venerandum locauit, eiusq; sanctitati se committens, cum summâ veneratione vt Patronum excoluit. Locum namq; remotum à mundi negotiis Dux ipse prefatus providens in futurum B. VVironi concessit ad manendum, quò liberius cum suis inibi caelestes caperet fructus. Qui locus ore vulgi Mons Petri dicitur, in quo oratorium S. Mariae semper Virginis Deiq; Genitricis honore constructum & consecratum est: nec non S. Petri monasterium decori operis artificio constructum ex lapidibus, quod perdurat in presens. Nunc Mons S. Odiliae appellatur, vbi adhuc pars parietum templi ex lapide impolito visitur. Præpositus illic quondam & collegium Canonico- rum fuit, sed Ruremundam postea translatum, vt in Chronico*

nico lib. 2 cap. 16 testatur Ioannes Gerbrandus à Leydis & Legenda Sanctorum anno 1485 Louanij excusa. De Herstallo, Iupiliâ, Aquis-Grani superuacanea est longior disquisitio, cum de iis toties Francorum Annales meminerint.

Antiquorum quoque Regum asserenda huic Diœcesi habitatio est. Chlodionem sanè, siue Chlogionem, scribit S. Gregorius Turonensis *apud Dispargum castrum habitasse*. Queritur ubi terrarum id fuerit. Conuenit inter plerosque, *Dispargum* cuiuspiam librarij incuriâ scriptum, pro *Dispurgo*, siue *Disburgo*, vt est in Teutonicâ linguâ facilis mutatio tenuium litterarum in medias, aut etiam aspiratas, P in B vel F. *Dispargum* igitur, siue *Disburgum*, censent Germani nonnulli *Duisburgum* esse, oppidum Cliuentis Ducatus, haud longè ab Ruræ amnis in Rhenum influentis ostio. Vir quidam eruditus in *Montensi Comitatu*, (qui *Ducatus* dici debuit, quo à trecentis ferè annis titulo gaudet) atque *ex aduerso Coloniae* locat, velut cum Tuitio in vnum conflans oppidum, cum distent bidui itinere. Est *Tuitium ex aduerso Coloniae*, inque eo insigne monasterium à S. Heriberto Archiepiscopo Colonienfi ante annos 1001 fundatum, cuius Abbas fuit Rupertus, egregiis in sacram Scripturam commentariis clarus, è S. Laurentij iuxta Leodium coenobio ad illud regendum accitus. Quod verò idem ille scriptor *Duisburgum, olim Deusonis castrum appellatum* scribit, apud neminem veterum legi. Cæsi quidem *Saxones Deusone in regione Francorum* dicuntur in S. Hieronymi Chronico. *Ad Vsonem* legit Pontacus.

Porro qui *Duisburgum* esse *Dispargum* asserunt, habent, quorum auctoritate nitantur, *Gesta Regum Francorum*. Hæc repetitâ inde à Troianis origine gentis (vt ferè amant clarorum populorum ornari fabulis initia) per Tanaim flumen, paludesque Mæotidas ad confinia venisse Pannonia-

rum Francos aiunt, ibique urbem *Sicambriam* ædificasse. Dein à Valentiniano Augusto acie victos, egressos à *Sicambriâ* venisse in extremis partibus *Rheni fluminis* in *Germaniarum oppidis*, illicq; inhabitasse. Ac post pauca: *Habitabat itaque Chlodio Rex in Dissargo castello in finibus Toringorum in regione Germania*. Cui veterum nota illa circa *Pannoniam Sicambria?* Fuere tempore *Iulij Cæsaris Sicambri*, siue *Sigambri*, proximi *Rheno*. Iidem, qui deinde *Franci*, aut iis vicini. Ibidem certè *Francos* statuit *S. Hieronymus* in *Vitâ S. Hilarionis XXI Octobris*: *Inter Saxones*, inquit, & *Alamannos gens extat*, non tam lata quàm valida, apud *historicos Germania*, nunc verò *Francia dicitur*. Hi *Ripuarij Franci* fuerunt, quorum regio ubi fuerit, ex ipsâ illorum *Lege* intelligitur, idum *tit. 36 § 4* ita vicinæ iis gentes indicantur: *Si quis Ripuarius aduenam Alamannum, seu Frisionem, vel Baiuuarium, aut Saxonem interfecerit* &c. Eorum deinde metropolis fuit *Colonia Agrippina*. At *Ripuariorum Rex* neque *Chlodio*, neque successor eius *Meroueus*, aut *Childericus* fuere: huius filius *Chlodoueus* *Sigebertum Claudum Regem Coloniensem* à proprio filio fraudulenter trucidari curauit, vltusque quod suaferat parricidium, filium interemit, & *Ripuarios* sibi subiecit.

Ceterùm *Gesta* illa, quæ citauimus, *Regum Francorum* sequuntur *Rorico monachus*, *Sigebertus Gemblacensis*, *Iuo Carnotensis*, & nuper *M. Antonius Dominicius* in *Affertore Gallico cap. 5*, qui tamen fatetur auctorem horum *Gestorum incertum esse, nec semper erroris expertem*. Alioquin non diffitetur *Gregorius Turonensis* fuisse suo æuo, qui vellent *Francos* è *Pannoniâ* aduenisse, quod ipse neque affirmat, neque refellit. Ita ergo scribit *lib. 2 Histor. Franc. cap. 29*. *Tradunt multi eosdem ex Pannoniâ fuisse digressos: & primùm quidem littora Rheni amnis incoluisse: dehinc transactò Rheno, Tun-*
griam

griam transmeasse. Ac paullo post: Ferunt etiam tunc Chlogionem utilem ac nobilissimum in gente suâ Regem Francorum fuisse, qui apud Dispargum castrum habitabat, quod est in termino Tungrorum. Non inficior quasdam editiones hîc habere Thoringiam & Thoringorum. Sed quis capere possit, venisse è Pannoniâ ad Rhenum Francos, eius littora accoluisse, eo deinde traiecto Thuringiam transmeasse, atque in eius termino habitasse? Erant ad Orientale Rheni latus, à quo procùl itidem in Orientem distabat Thuringia. Hanc si petere volebant, inutile erat Rhenum transmittere, nisi si hariolari cuiquam lubet, atque asserere, transmississe Rhenum, ut dissimularent expeditionem, moxque eo rursustransito Thuringiam petiisse. At neque eâ ratiocinatione conficietur Dispargum fuisse Duisburgum, quod procùl à termino Thuringorum distat.

Ex verbis Gregorij Turonensis planè mihi colligi videtur in eâ prouinciâ Belgij, quæ nunc Brabantia dicitur, habitasse. Nam indicato Chlodionis domicilio apud Dispargum, ista subnectit: *In his autem partibus, id est, usque ad meridionalem plagam habitabant Romani usque Ligerim fluium. . . Chlogio autem missis exploratoribus ad urbem Camaracum, perlustrata omnia, ipse secutus Romanos proterit, ciuitatem adprehendit. Hæc igitur ciuitas meridionalis erat, Dispargum Septentrionale, inter Batauos nimirum siue Frisones & Romanos situm, non ad Orientem circa Thuringiæ fines. Et verò quâ potuisset ab usque Thuringiæ limite ita improuisus aduenire, tot vastis fluminibus, Rheno præsertim ac Mosâ, transmissis, ac Romanos iuxta Camaracum obterere? Præsertim si verum esset, quod habent Gesta Regum Francorum; In illo tempore, inquiunt, in his partibus citra Rhenum usque Ligere fluiuo habitabant Romani. Quâ igitur horum omnia pertransit*

præsidia? Fateretur eorundem Gestorum scriptor alibi sæpius cum Romanis cōfluxisse, priusquam Camaracum perueniret. *Chlodio autem Rex, inquit, misit exploratores de Dispar-go castello Toringorum vsque ad urbem Camaracum. Ipse postea cum grandi exercitu Rhenum transiens, multo populo Romanorum prostrato, hostes fugauit. Carbonariam siluam ingressus, Tornacensem urbem obtinuit, exinde vsque Camaracum urbem properauit. ibi-que paruo tempore residens, Romanos, quos ibi inuenit, interfecit.* Gregorij Turonensis credibilior est narratio, eaque innuit fuisse hanc Chlodionis subitam irruptionem, Romanis nihil tale metuentibus: non ergo tam diffusum terrarum spatium peragrari, ac superari flumina debuerunt, sed vix bidui fortassis iter impendi.

Diximus alibi ex Ammiano, Francos Salios apud *Toxiandriam*-locum sedes fixisse assentiente Iuliano Cæsare. Duabus leucis à *Toxiandria-loco*, vulgo *Tessenderloo*, distat *Diesthemium* Brabantiaë oppidum, quod ego *Dispargum*, siue *Disburgum*, esse omnino autumo. Adstipulatur Godefridus Wendelinus I. V. D. atque illustris Ecclesiæ Tornacensis Canonicus & Officialis in eruditis ad Legem Salicam commentariis pag. 99 ita scribens: *Est verò iam alterum Diesborch, oppidum dudum amplum atque insigne: utpote cui nihil eorum deest, quæ ad Aula regie maiestatem poscuntur, non agri, non prata, non silua, non paludes, non venatio, non flumina, non piscatio, non vinea. . . . Et istud est reuera hoc ipsum, de quo Gregorius loquitur DISPARGVM castrum, quod stetit in urbis inferiore parte, cliuo saxoso, ambitu pedum 3000, altitudine 70. Idem paginâ sequenti: Cùm manium ambitus, quibus nunc cingitur oppidum, satis sit laxus, duos Burgos complectitur, quorum maior in edito est monte, vocaturque Kakenborch. . . . At verò Burgus alter (Dief-burch) minor quidem est illo Kakenburgo: neque enim mons est, sed cliuus tantum*

tantum oblongus, saxeus, in abruptum precipitum desinens, ambitu, sicut dixi, pedum 3000, altitudine pedum 70, quomodo istud obseruauit: sed amœnitate loci propter fluium proximum Tameram, prospectumq; in siluas, vineas, agros ac prata utrimque latissima, paludesq; piscosissimas, dignum profecto Principibus domicilium: ut, si Faramundus, per ista Francorum prima exordia, locum ullum uoluerit deligere, non alium debuerit, quam hunc ipsum in totâ Taxandriâ, uel etiam Hasbaniâ, exoptare, ubi Regnum possit auspiciari, ac filio Chlodioni excipiendum relinquere, quod anno CCCCXXVIII fecit. In illo ergo Dispargo castro Regia fuit pro Germanicis moribus Germanica, Francica, hoc est, rudis atque incondita, lignea quippe, nec nisi subter in fundamentis lapidea uel saxeâ, quorum magnitudo ac moles cum uestigiiis cauearum superest hodieq;.

Fuit igitur Burgum primùm, id est, castrum, quod, siue quia Marti sacrum, siue à fundi Domino, siue ab habitatore *Diestburgum*, siue *Diestpurgum*, est appellatum. Nam diphthongus *ie* Brabantis idē sonat quod *i* longum. Cùm adiectis pluribus ædificiis in oppidum excreuisset, *Diest* coepit appellari: pars ea, ubi steterat castrum, *Burgum* dictum. Idem in *Antuerpiâ* nomine licet obseruare. Primùm dicta *Burcht-aen-de-uerf*, id est, burgum ad crepidinem siue ripam. *VVerf* enim dicimus locum iactis in flumen molibus præmunitum, ut commodè appellere naues possint, aut simpliciter ripam. Constat enim ex veteribus monumentis Equestrem familiam *van de VVerue* in hac urbe à *Ripâ* olim cognominari. Cùm ergo adiectis ad castrum domibus ampliari coepisset, hoc solum *aen-de-Verf*, uel *aen-de-Verp*, siue *Andouerpum* dictum, *Burgi* nomine remanente in hanc diem ei parti, quæ castro continebatur. Idem *Diest-burgo* euenisse uidetur, ut oppidum *Diest* nuncuparetur, *Burgi* nomen parti, ubi castrum fuerat, adhæreret. Aut certè, more nostratibus

tibus vſitato, dimidiatum, vt breuius pronunciaretur, nomen. Ita, quæ *Rhenoberga* nobis dicitur, *Berck* accolis eſt. Pro *Maeſtricht*, Traiecto ad Moſam, *Tricht* dicunt ciues ac finitimi; pro *S' Hertoghen-Bosch* Silua-Ducis, pleriq; Brabanti *den Bosch*, Silua. Ita quæ initio forſã *Dieſtheim*, quaſi Diſonis domus, dein *Dieſtburg*, Diſonis caſtrum, atque vſu vulgi *Dieſt* eſt appellatum. Multa autem circa Dieſthemium veſtigia Saliorum Francorum extant, vnde colligere poſſimus illic *Diſpargum* regium caſtellum ſeu palatium fuiſſe, recenſita ab eodem Wendelino. Tres pagi vbi Lex Salica conſcripta, *Salheim*, quod Saliorum domicilium ſonat, *Bodersheim*, & *VVindershouen*: tum prope Dieſthemium Salicus vicus, *Selck*; & prata Salica, *Seelbemde*, nec non & agri inter *Herkam* & *Halam* oppida *Vranckryck*, id eſt, Francorum regnum, dicti.

Alia V. CL. Ioanni Iacobo Chiffletio in Anaſtaſi Childe-rici ſuper *Diſpargo* ſedit ſententia: Caſtrum illud fuiſſe in pago, qui Louanium inter & Bruxellam ferè medius iacet, ac *Dusborch* appellatur. Fuiſſe eum locum tunc, ſi non in Diocceſi Tungrenſi, certè ab eius limite non procul. Dieſtenſes quoque negare, qui in oppido ſuo eſt Caſtri veteris locus, *Diſburgum* dici, ſed *Burgum*: cuius rei à nobis iam examinata ratio eſt. Sigillo autem, quo pagi Dusburgenſis Scabini ab omni memoria ſignare chartas ſoliti ſunt, ait caſtri figuram exprimi, circum adſcriptis hiſce verbis: S. SCABINORVM DE DVSEBORCH. *Super eſſe viros ſenes ac fide dignos, qui viderint ruderà & veſtigia veteris caſtri. Referre loci Paſtorem ex antiquis monumentis, ducentis ante Furam annis Diſburgum illud Ducum Brabantia caſtrum fuiſſe. Demum per militarem viam, que per Angiam (ſiue Edingam) Athum & Lutofam, Tornacum ducit, Chlodionem inſtituere iter potuiſſe. Quæ argumenta haudquaquam*

quaquam tantum apud me habent ponderis, atque illa, quæ Wendelinus circa Diesthemium extare vestigia Saliorum Francorum scribit: ad quæ *Toxiandria-loci* vicinitas accedit, vbi olim confedisse eos constat. Neque vox *Duseborch Disburgo* ita affinis: aliud enim *Dis* vel *Dies*, aliud *Duse*. In termino *Tungrorum* fuisse *Dispargum*, scribit S. Gregorius Turonensis, ditionis videlicet, quæ ad Bethasios, & forsan aliquantò ultra, pertingebat: longiùs multò Diæcesis, de quâ non meminit Gregorius. Quale porrò in eo pago extitit castrum, innumera sunt passim per totum Belgium. Nam quòd Ducum Brabantiaè castrum id dicatur ducentis ante Furam annis fuisse, nihil admodum ad rem facit. Annis ferè sexcentis priùs Disburgi Chlodio habitauit, quàm vlli essent Brabantiaè Duces, quorum potestatem post annum millesimum demum vsurpauère Comites Louanienteses, ex Montensium Comitum, siue Hainoënsium Ducum (nam vtroque titulo compellati olim) stirpe exorti. Vellem tamen Vir Eruditissimus, laudata sibi à Pastore Duseburgensi monumenta, inspicienda poposcisset. Forsan certiora inde eruisset: forsan etiam ea explosisset; si præsertim ridiculam Ducum nostrorum antiquitatem statuerent: vti statuit Christianus Massæus, qui Petrum Taboreũ & Ioannem Marium secutus, vt profitetur lib. 13 Chronicorum mundi pag. 186, catalogum Ducum Brabantiaè collegit, inque eo vetustissimum adstruit nomen Montis-frigidi, in quo ædificatum Caudemburgense iuxta Palatium in vrbe Bruxellensi monasterium est, ex cuius archiuo edidit Chiffletius iconismum sigilli Duseborch, eiusque pagi asserit Pastorem à Præposito istius monasterij constitui. Hæc ergo excerpo ex Masleo: *Godefridus, cognomento Carle, Rex Tungrorum, genuit Carolum Inach, qui Romanos euuit in bello Mithridatico. Rapuit filiam Iulij*

Proconsulis Arcadia: cum quâ fugit per Franciam Cameracum, vallemq; Cygnorum ad Montem frigidum apud Bruxellam. Genuit Octauium & Zuanam, quam Saluius Brabo uxorem duxit Louanij in templo Martis & Plutonis prasente Iulio Casare: qui dedit ei omnem terram à mari Noruuego vsque ad Tornacum & Scaldam, Hannoniam, siliuam Carbonariam, titulo Ducatus Brabantie. Brabo gigantem occidit, ob id Marchio Antuerpie primus creatus sacri Princeps Imperij: occisus Romæ in conspiratione contra Casarem. Eiusmodi multa in quibusdam Chronicis reperiuntur, quæ tum nemo alius, qui quidquam iudicij habeat, probauerit; tum ego sanè malim fateri me nihil scire, quàm alio loco illa habeam, nisi vanissimarum fabularum. At si ab illo Pastore citata monumenta certis nitantur tabulis publicorum edictorum aut testamentorum, pactorumuè (quod nemo sagacius expendere quàm Chiffetius potest) libenter cuiusmodi sint addisceremus. Satis tamen ratione exploratum videtur, non posse ea Chlodionis habitationem illi loco vindicare. Neque Chlodionem existimo per confinia illa Scaldis ac præsidiorum Romanorum iter instituisse. Campi ingentes Hasbania, Brabantia Gallicana, vt nunc appellatur, & Hannonia, multò erant & à periculo remotiores, & ad celeritatem itineris aptiores. Si autem ad penetrandam Carbonariam siliuam insistere viæ militari oportuit, expeditior erat, quæ Aduatucâ Tungrorum Bauacum Neruiorum ducebat, in quam vsquam ingredi circa hodiernum Hannonia limitem cum copiis poterat. At solùm ista adfero, vt ostendam non imponi mihi, aut cuiquam, qui mecum antè senserit, prioris sententiæ retractandæ necessitatem: quod alioquin ingenuè facerem, fatererque, si mihi certior veritatis lux affulgeret.

Epilogus. Lectoris compellatio.

AD extremū Te, LECTOR ERVDITE, obtestor, DAGOBER-
 TO vt meo faueas, secundo (inquam) illi Austrasio,
 quem ab exilio in regnum, gloriæque plurimis benefactis
 partæ possessionem, restitui. Nolui Te sub exordium scri-
 ptionis orare hanc gratiam, ne precariò extorta potiùs,
 quàm illius merito obtenta videretur. Ne autem denuò in
 Hiberniam relegetur, regnoque exturbetur, haud arbitror
 magnoperè nunc esse metuendum. Nisi si quis cæco impetu
 incessere quosuis, nullâ etiam ex causâ, velit. Certè hæc
 dum esset sub prælo Diatriba, venit in manus meas *Genealo-*
giæ Francicæ plenior assertio, auctore Davide Blondello, in quâ is
 folio LXXII ita Io. Iacobum Chifletium arguit: DAGOBER-
 TVM paruum, quem Grimoaldus CONTINVO POST SIGIBERTI
 REGIS MORTEM tonderi & in Scotiam deportari iusserat, regio,
 quem numquàm gestauit, titulo temerè insignit. Vbi is prælegi
 sibi nostra (quia captus oculis est) curauerit, mutabit, opinor,
 sententiam. Atque etiam, licet, vt existimauit Chifletius ac
 ceteri scriptores, reuersus è Scotiâ ad regnum numquàm
 fuisset DAGOBERTVS; tamen Regis primogenitus, mox vt
 ille obierat mortem, verè in ius regium legitimus hæres suc-
 cedebat: estque è folio abstractus ac relegatus. Numquàm
 enim auderet Blondellus afferere, (ni se maiestatis vellet
 crimine alligare) Francorum Reges non illicò in vacuum
 ius regni, etiam infantes atque in cunisiacentes, succedere,
 etsi sub Procerum matrumue tutelâ ad legitimam ætatem
 permanere cogantur. Eodem iure Sigebertus Theoderici

Auftrafiæ & Burgundiæ Regis filius, Childeberti nepos, patre mortuo verè Rex fuit, etfi fortassis numquàm inauguratus, ac proinde iure potuit idem Chifletius S. Sigebertum DAGOBERTI nostri patrem, tertium eius nominis appellare, gnarus inaugurationem fortassis ad regni moderanda gubernacula, non etiam ad ius adeundum regni, titulumque Regis, requiri. Quod immeritò idem Blondellus reprehendit.

Aliis in rebus Te, LECTOR, velim DAGOBERTI honori favere. Primò, vt, quæ alia eius repereris diplomata, signatafque ab eo eiusque tempore tabulas, si quæ opera eius, certis testata monumentis, si quæ auctorum de rebus ab eo gestis testimonia, ea nobiscum communices. Sed potissimum si quid erueris, vnde constare possit, hunc eum esse, cuius est Sathanaci Cælitum honoribus consecrata memoria. Valdè ego quidem in eam sententiam inclinabam, sed tantum mihi ausus non sum auctoritatis arrogare, id vt iudicio meo definirem. Qui plus viderit, magnam à nobis gratiam inibit, si significet. Denique si quid in hac meâ commentatione repereris, quod tibi videatur cum aliis veteribus certisque monumentis minùs concordare, liberè me moneas, gratias ingenuè habiturum atque emendaturum.

Si quid autem palàm scripto refellere, siue ex professo, seu casu ita ferente, volueris, neque impedire id possum, nec volo deprecari. Illud stipulari iure licet, ne scriptum hoc meum refellas, nisi legeris. Quâ in re mihi aliàs iniuriam, ac sibi etiam maiorem, fecit quidam, disertior forsitan orator quàm peritior historicus, qui aduersùs meam de Traiectensi Episcopatu & Episcopis Diatribam libellum edidit (absque suo tamen nomine, quod nec ego hîc aperiam, licet neutiquam ignotum mihi sit) ac multa obiecit in eo
 mihi,

mihî, quæ non scripseram. Nam pag. 12 scribit, *novitate non tolerabili in dubium à me renocari, fueritne idem D. Maternus Treuirensis ab D. Petro submissus*, & primus Præsul Tungrensis. Si mea legisset, numquàm ita scripisset. Cùm enim tres scriptores, quos defendere se velle profiteretur, nullum Tungris Episcopum fuisse ante S. Seruatium verè Tungrensem velint, sed Treuirenses solùm illic Euangelium prædicasse, sacraque administrasse; ego verè omnes illos fuisse Tungrenses Episcopos contendi, siue vtramque Sedem simul rexerint, siue priùs Tungrensem, dein Treuirenssem, seu denique aliqui fortassis Tungrenses solùm fuerint, non Treuirenses: vti de S. Martino innuit Martyrologium Romanum XXI Iunij. S. Maternum S. Petri discipulum, Apostolum & Episcopum Tungrorum asserui fuisse, ac fortassis, vt Colonia, alium postea eiusdem nominis Episcopum. Non legitur idem, quàm ego ratione Borboniorum temporum & Hadrotiorum mentionem fecerim. Nam cùm alius quidam scriptor dixisset, Leodium præhabitum Traiecto, quia minùs aduersùs Episcopos illic tumultuum, quàm Traiecti motum iri præfagirent sancti illi Præsules, qui Sedem transtulerunt; ostendi nullas proferri excitatas Traiecti seditiones, multas extitisse Leodij. Hic ille inuidiosissimè, *omni Leodiensi nationi* ea obiici conclamat, ac vicissim ingerit, quæ Louanij, Bruxellis, Gandavi, Brugis aduersùs Principes mortæ conspirationes. Quid illæ ad Traiectenses attinent? Quid ad Episcoporum securitatem? Cur non Ultraiectensium attulit contra suos Antistites tumultus, magis iis, quos nos tetigimus, affines? Nec nos *omni nationi* ea obiecimur. Scimus semper in illis tumultibus maiorem esse proborum numerum, insolentiorum paucorum audaciam. Pag. 20 & 21 penè ad nauseam inculcat Episcopos Leodienses seipso*s* Tungren-

254 DE TRIBVS DAGOBERTIS LIB. IV.
ses appellasse, atque illud omittit, in quo præcipuam esse vim ostendi, quòd iidem qui se *Tungrenses* scribebant, eos, quos ego verè Traiecti sedisse affirmo, *Traiectenses* perpetuò appellarint. Denique illa è triuio ingerit conuicia pag. 9, quòd vni cuiquam è Societate, *decori meiq̃, non satis memor, plagij* crimen obiecerim: idemquè pag. 24 denuò inculcat, nec satis cauisse me, quæ aliis obieci. *Si plagij* nomen vel res in totâ illâ Diatribâ à me expressa est, non recuso quin ipse ista verè scripisse existimetur. At si nihil tale inueniri potest, fateatur ipse oportet, se vel non legisse quod scripsi, vel finxisse quod refelleret. Vsq̃ue adedè autem lege *plagij* ipse non teneor, vt ferè nimiùm abierim in contrarium; monitus sæpe ab amicis, quòd, ingenuè licet, nimis tamen crebrò, exponam, à quibus acceperim, aut didicerim, quæ scribo. Quod spondet fore vt ostendatur, non ab Vrtâ Eburones dictos, nec Aduatucam Eburam esse, sed Vatuca, quæ Aduatuca dici non debuerit, id auidè expectamus. At numquàm vel ipse vel alius euincet contra Cæsarem, ipsiusque Ambiorigis testimonium, *Eburones Rhenum inter ac Mosam latè tetendisse*. Cetera, quæ ad ipsam Episcoporum historiam spectant, refutauimus ad Vitam S. Amandi vi Februarij.

Vale LECTOR, & mirari desine, quòd non tam citò ac velent multi, vniuersum nostrum de Sanctorum Actis opus prodeat in lucem, cum singulorum Acta Sanctorum, quoad licet, seu Gallorum, seu Germanorum, siue Anglorum aut Hispanorum, seu Græcorum aut Syrorum, aut quacumque aliâ ex gente, pari atque hæc studio accuremus.

INDEX